



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus IX. Oratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Motiva alia.

Inclinabit se, & cadet; cum dominatus fuerit pauperum. Pl. 10. 10. Cum enim omnibus superior factus fuerit, minimè tamen effugiet mortis fauces; sed æquè, ac ceteri homines, sepulchro traderetur. B. Theodoretus hic.

Cum viro innocente innocens eris. Pl.

17. 26. Id est, qui nemini nocet, Deus se innocentem præbebit, id est, ei non nocebit, neque noceri ab aliis sinet. Bellarminus hic.

Sicut liberalitas signum est rusticitatis. Unde aliqui, qui reputantur nobiles, si ita loquendum est, rusticissimi sunt: eò quòd bonis suis spolient pauperes. S. Thom. Aq. opusc. 38. de erud. princ. c. 5.

TITULUS IX. ORATIO.

§. I.

Figura, Symbola.

Ex Veteri.

Vadit q. in somnis scalam &c. Gen. 28. 12. Ascensus Angelici sunt illuminationes, & meditationes, ascendentes in cœlum. Descensus verò sunt considerationes peccatorum, & miseriarum, omniumque defectuum nostrorum, & condescensivæ compassionis ad proximum. S. Thom. Aq. hic.

Pone custodes fontium. Judith. 7. 9. Incidit diabolus aquæ ductum, cum nos ab oratione avertit: per orationem enim, quasi canalem, omnis Dei gratia in nos influit: unde, & succisâ, diabolus nos superat, & capit. Cornelius hic.

Vox Domini super aquas. Pl. 28. 3. Vox orationis, ut à Deo procedit, potestatem habet super omnes aquas gratiarum, quas è cœlo descendere facit, de Ponte in Cant. 2. Exh. 28. 5. 2.

Fulcite me floribus. Cant. 2. 5. id est, juvate orationibus. Hugo Card. hic.

Sicut turris David collum tuum &c. Cant. 4. 4. Collum mylicum animæ sanctæ est oratio. ita Theodoretus. 1. Sicut collum erigitur in altum; sic oratio mentem à terra sustollit ad Deum in cœlum. 2. Sicut per collum spiritus attrahitur ad interiora refrigeranda, & roboranda; sic per orationem attrahimus spiritum Dei, qui æstus concupiscentiæ refrigerat, mentemque animat, & corroborat. Unde Pl. 118. 131. *os meum aperui, & attraxi Spiritum.* 3. Sicut turris urbem communit; sic oratio animam: & sicut turris suis vallatur propugnaculis, clypeis, & armis; sic orationis propugnacula sunt virtutes. Denique in ea est *omnis armatura fortium.* v. 4. Cornel. hic.

Aperiet os suum in oratione. Eccl. 39. 7. Infantibus, & pullis, non datur esca, nisi os aperiant. Broymard. Oratio.

Ex Novo.

Obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11. Aurum Deo offerimus;

cum per patientiam probati in tribulationibus non deficiamus. Thus ei in ara cordis incendimus, cum internò ejus amore flagrantis, per studium compunctæ, & lacrymosæ orationis ei placere contendimus. Myrrham quoque de nostri cordis arca proferimus; cum pro ejus amore vigilando, orando, jejunando, petulantiam carnis edomamus. B. Ivo Carnot. f. de Epiph. D.

Fiat voluntas tuas. Matth. 6. 10. Catenam auream è cœlo pendere finxit Homerus, à Jove emissam; ut ceteri in terra degentes, ad eam appensi, ipsum è cœlo traherent: qui omnes totò conatu, opus aggressi inconfideratè in cœlum sunt tracti. Orationem S. Dionysius affirmabat esse catenam auream; quâ Deum ipsum ad nos trahimus, nosque ad eum trahimur; dum velle nostrum ejus voluntati subjicimus. Cornelius hic.

Unge caput tuum. Matth. 6. 17. Oratione caput, scilicet Christus, ungitur; quæ ipsum mollificat, & suavem reddit peccatoribus. S. Vincent. Ferr. f. in die Cin.

Acendit lucernam. Luc. 15. 8. Lucerna est orationis instantia; drachma verò est gratia divina; quæ, si perditâ fuerit, reperitur cum oratione devota. S. Bonavent. diat. sal. c. 14. de orat.

Ascenderunt in templum, ut orarent. Luc. 18. 10. Ad hoc debet quislibet ascendere in Ecclesiam, id est, ad orandum; non ad videndum mulieres; vel prava, & vana colloquia faciendum; quod tamen multi faciunt. Hugo Card. hic.

Recubuit super pectus ejus. Joan. 21. 20. Illi recumbunt super pectus Jesu, qui sapientiæ, & scientiæ, dant operam; & qui lectioni vacant, & contemplationi. D. Eusebius Emis. in Nat. S. Joan. Evang.

Habentes phialas aureas &c. Apoc. 5. 8. Anima Jesu phiala aurea est plena odoris, quæ sunt orationes Sanctorum. Petr. Cell. c. 19. de pane mercenar.

Ascendit fumus incensorum &c. Apoc. 8. 4. Sicut incensum super carbones frigidus non facit fumum ascendere; ita nec oratio. Broymard oratio.

Ex Patribus.

Sicut mendici, & famelici, in civitate per vi-
cos, & plateas, de domo in domum, quarunt
panem; ita & nos civitatem coelestem, nunc
per plateam Apostolorum, nunc per plateas
Martyrum, nunc Virginum, nunc Confesso-
rum, circuire, meditando quarere, & mendi-
care, ac orare, debemus. S. Bonavent. l. 6. in-
fra oct. Epiph.

Anima est civitas summi Regis, & dicitur *ci-
vitas virtutum*. Pl. 47. 9. quia virtutes ibi
sunt. Sed Ismaelita, Moab, Agareni &c. ob-
sident hanc civitatem: id est, diaboli, & ma-
lae cogitationes. Prudentia autem currit ad
arcem sapientiae, quasi ad dominam virtutum,
consilium ab ea quaerens: quae testatur, qua-
rendum summi Regis auxilium. Et cum qua-
rerent virtutes, quis ibit pro nobis? respondit
consilium: unum de septem donis *oratio*: &
ne moram faciat, supra equos Fidei ascendat.
Proficitur oratio per viam caeli, & currit;
donec intret portas Domini: & velut manci-
pium fidele nuntiat Regi imminens periculum.
Hoc auditò mittit Rex Charitatem Reginam
caeli; & tota coelestis curia eam comitatur.
Charitas autem intrans civitatem omnia illi-
cò exhilaravit, commota composuit, turbata
pacavit. Redit spes in civitatem, quae primò
penè effugerat; fortitudo, quae penè corruer-
at; & aliae virtutes. Hae videntes inimici di-
xerunt: *fugiamus Israellem; quia Dominus
pugnat pro eis contra nos*. Ex. 14. 25. Sic
civitas virtutum, id est, anima, oratione nun-
tià, liberatur. S. Bonavent. in Pl. 118.

Orans est sicut ille, qui in obsidione quaerit,
vel petit, succursum: nam sicut ille, qui tenet
arcem regis; si obsideretur ab inimicis, repu-
taretur infidelis, nisi castrum regi denuntiaret
obsessum, vel peteret succursum: sic, cum hos-
tes visibiles, vel invisibiles, obsident animam
tentationibus; statim debemus Regi regum
nuntium orationis mittere, & obsidionem de-
nuntiare. Qui orat, debet clamare, sicut cla-
mat parvulus, qui vult ubera: sicut clamat ca-
tulus, cum sentit verbera. *Ad Dominum,
cum tribularer, clama vi*. Pl. 119. 1. Sicut
clamat populus, cum videt pericula. In ora-
tione debemus os aperire, sicut infans aperit
os nutrici, ad suscipiendum nutrimentum vi-
tae aeternae, scilicet gratiae divinae. Sicut pulli-
culus, qui, dum sentit venire matrem, aperit
rostrum versus coelum. S. Bonav. diat. sal. c.
14. de orat.

Sicut incensum, antequam approximet igni,
quasi mortuum apparet, igneque contactum
quasi spirituale fit, & in altum ascendit: sic me-
ritum orationum nostrarum quasi mortuum
est; nihilque valet, nisi dilectionis illius igne,
quem Christus pro nobis meruit, in thuribulo
cordis ejus vivificetur. S. Bernardinus tom. 2.
f. 1.

Aptius quidem orationem dixerim officio

legationis insilire; quae causas male advenien-
tes novit exponere, atque adversa indicare,
quae patitur author ejus. Haec existens in ter-
ris caelo se inferit; constituta in imis alta pul-
sat. Sibi non obsistunt intervalla locorum;
nulla munimenta sibi obicem faciunt. Sim.
Cals. l. 5. c. 15.

Oratio gerit imaginem Christi caelum ascen-
denti: quid enim est orare, nisi mente caelum
conscendere. Hugo Card. in c. 7. Matth.

§. II.

Oratio est necessaria.

Ipse vero dormiebat. Matth. 8. 24. Non es
Isecurus à tempestate, si ita remiges, ut orare
negligas. Oliva t. 2. Strom. §. Ipse vero dor-
miebat.

Ascenderunt in templum ut orarent. Luc.
18. 10. Sicut corpus indiget animà, ut vivat
naturaliter; sic anima indiget oratione, ut vi-
vat spiritualiter. Et sicut homo vivere non po-
test sine respiratione; sic nec sine oratione:
orando enim emittit spiritum desiderii ad
Deum; & ab eo vicissim recipit spiritum vir-
tutis desideratae. Proinde ac homo spirando
emittit veterem halitum, & novum attrahit,
ac immittit. Cornelius hic.

Sine me nihil potestis facere. Joan. 15. 5.
Si ergo sic certissime constat esse, si volumus
bonum cogitare, si bonum dicere, si bonum
facere; quid restat? nisi Deum orare. S. Bo-
navent. l. 31. D. 1. post oct. Epiph.

*Petrus, & Joannes, ascendebant in tem-
plum*. Act. 3. 1. Cur ante miraculum claudi
describitur eorum oratio? S. Basilii Seleuc.
or. 21. id primum in dictis cognitu necessarium
est; quòd in tantam dignitatis celsitudinem e-
vecti Apostoli orationem minimè neglexerint.
Nam homines cum essent, hinc quoque petito
praesidio egebat. Quòd si Apostoli precationis
opem non excutunt; quantum nos crimen
incurrimus, qui per incuriam tam salutare pro-
jicimus viaticum. Sylveira hic q. 1.

Quisquis non orat Deum, nec divinò collo-
quid cupit assidue frui; is mortuus est, & vità
carens, expersque sanae mentis. S. Chrylost.
de orando Deum l. 1.

Cum video quempiam non amantem oran-
di studium, nec hujus rei fervidà, vehementi-
que curà teneri; continuo mihi palam est, eum
nihil egregiae dotis in animo possidere. Id. ib.

Admirandus ille David, Goliath illum im-
manem, cum veluti demon quispiam formi-
dandus irrueret; non armis, neque gladiis; sed
precibus dejecit. Id. ib.

Quemadmodum civitas, quae muris cincta
non est, facile venit in potestatem hostium,
propterea, quòd prorsus absit id, quò fuerat
hostium incursum arcendus: sic & animam non
munitam precibus diabolus facile in suam redi-
git ditionem; nec multò negotiò omni genere
scelerum implet. Idem de precatione lib. 1.

Si-

Sicut panis est alimentum corporis, & vitus animi; sic spiritualis oratio calimentum mentis est. S. Nilus c. 95. de oratione.

Satis ibi vacillat humanum studium, ubi non requiritur Dei auxilium. D. Valerianus Cemeliens. Ep. de bono disciplinae hom. 11.

§. III.

Orationis excellentia, varia laudes.

Num. 1.

Est Vicaria Christi.

Species quarti similis filio Dei. Dan. 3. 92. Cur cum iis ambulat Angelus in specie filii Dei? non item cum Paulo, & Sila, incarcerationis? Act. 16. 25. *media nocte Paulus, & Silas, orantes.* Oratio illis erat Vicaria Filii Dei, Sylveira in Joan. 16.

Si quid petieritis Patrem &c. Joan. 16. 23. Dicitur hoc illis in consolationem, atque documentum; ut Christo absente utantur, ad impetranda omnia à Patre, quibus egent, q. d. nolite tristari de meo discessu: pro mea enim presentia Orationem in virtute nominis mei, tanquam mei Vicariam, vobis substituo? ut sicut ego meam presentiam in prosperis & adversis, fui patronus, secutum, requies, & solatium; ita eadem vobis sit Oratio. Id. ib. q. 1.

Discedens Christus à Discipulis, fidelem illis administram, & Vicariam reliquit Orationem; quæ eorum petitiones ad Patrem deferat. Barradius D. 5. Palsch. l. 5. hic. c. 12.

Num. 2.

Oratio est Colloquium cum Deo.

Cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. S. August. se r. 6. D. Pals.

Magnum bonum sunt preces: nam si homini quis loquatur virtute prædico, non parvum inde fructum percipiet: quantis bonis fruatur is, cui cum Deo colloquium fuerit. S. Chrysof. hom. 30. in Gen.

Quis non obstupescat tantam benignitatem, ac benevolentiam, quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantum honoris largiatur; ut dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus. Id. l. 1. de orando Deum.

Si is, qui cum magno aliquo viro, & admirabili, multum versatur, ex ejus consuetudine maximum fructum accipit; quanto magis, qui cum Deo perpetuam habet consuetudinem. Id. in Ps. 4.

Num. 3.

Oratio est felix rerum principium.

Osuletur me &c. Cant. 1. 1. Dum Canticum suum à ferventissima prece inchoat; docet, nullum esse felicis operum nostrorum ex-

ordium; quam orationem ignea charitate flammantem. de Ponte hic. Exhort. 2.

Ducit illos in montem excelsum. Matth. 17. 1. Lucas sic scribit c. 9. 28. 29. *ascendit in montem, ut oraret; & facta est, dum oraret, species vultus ejus altera.* Lætissimus Salvatore, tribusque Discipulis, elucet dies; cuius gloriam, & felicitatem, Dominus ab oratione matutina auspiciatur. Nazianz. or. 1. optimus hic ordo est, ut qui rem aliam auspiciatur, à Deo initium ducat. S. Ambros. l. 1. offic. c. 37. nunquam David, nisi consulto Domino, bellum adorsus est: ideo in omnibus victor præliis. Escobar Mir. Chr. t. 1. l. 12. f. 1 obf. 6.

§. IV.

Oratio Deo grata.

Inclina Domine aurem tuam. Ps. 85. 1. Quod dicit *inclina*, ostendit, quia seipsum extendere non poterat humana conditio; nisi ipse suam majestatem piissimus inclinaret. Aurem enim dicit, non istam corpoream; sed auditum illum spirituales, quo petentium vota cognoscit. Cassiodorus hic.

Inclina ad me aurem tuam. Ps. 101. 3. Auris Domini pro clementia ponitur, quæ preces supplicum benignus exaudit. Nam cum totos audiat, totos videat; totos illos audire dicitur, quibus præstare dignatur. Id. hic.

Longanimis. Ps. 102. 8. Quis dubitet ab illo petere; qui, si non petatur, offenditur. Cassiodorus hic. in Conclusionem.

Inclinavit aurem suam mihi. Ps. 114. 2. Deus inclinat aures suas ad nos, quando inspirat nobis orationem. Bellarminus hic.

Delicia mea esse cum filiis hominum. Prov. 8. 31. Cur divina sapientia non dicit, in Angelis se deliciari, qui natura sua nobiliores, gratia etiam firmiores? quia homo à primæva sua creatione egens, miser, cogit à Deo auxilia petere. Ita enim Deo jucunda est hominis deprecatio: ut, licet natura Angelica præstantior sit humanâ; tamen, quia hæc mendica, periculis obnoxia, opem à Deo petere necesse habet; magis divina sapientia in hominibus, quam Angelis delitiatur. Castillo Illat. 93.

Vox tua dulcis. Cant. 2. 14. Orationes Sanctorum semper Deo acceptæ. S. Justus Orgel. hic.

Quia molesti estis & Deo meo. Il. 7. 13. Quam molestiam intulerat Achaz, ut sic objurgaretur? quia abstinuit à petitione signi. Adeo libenter Deus à nobis rogatur. Octavianus in Eccl. 13. v. 5.

Tacentes, & orantes, Dominus ut plurimum visitare dignatur. S. Laurent. Just. de discipl. monast. c. 15.

Vult Dominus noster absque dubio misereri, qui se præcipit exorari: non erit difficilis, ut invocatus exaudiat, qui importunitatem supplicantis expectat. B. Eucherius f. 6. de eo. *oportet orare, & nunquam deficere.* Luc. 18. 1.

OAR-

Orationis alia laudes.

Pater gratias ago tibi &c. Joan. 11. 41. Si Christus verus Deus, quid prece opus? Hilarius in Catena: non prece eguit: nobis oravit, ne Filius ignoraretur.

Oratio mortalium viaticum. S. Basilius Seleuc. or. 21.

Mater orationis est solitudo: oratio autem divinae gloriae demonstratio. S. Joan. Damasc. or. de D. transig.

Oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides, Viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium salus, fatigantium requies, mœrentium consolatio, nuptiarum contrahentium corona, natalitii festi celebratio, morientium funus. S. Gregor. Nys. de orat. or. 1.

Oratio corporum robur, rei familiaris administratio, recta Juris legumque constitutio, regni potentia; trophæum, atque vexillum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis sigillum est, fides nuptiarum, Viatorum præsidium, dormientium custos, navigantium salus. Oratio reorum patrona, vincitorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium jucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natalitii, morientium sepultura. S. Ephrem de orat.

Quicumque orandi donò præditi sunt, ingenti privilegio sunt donati. Similes enim iis sunt, quos reges ita familiares habent, ut eorum ingressus nunquam prohibeatur. Isidorus Clarus l. 1. or. 18.

Dulce vehiculum est in via oratio, fidelis præcursor ad Dominum, primitians ei adventum ascendentis. Petrus Blef. l. 21. in Asc. D.

Qui pecuniam habet, omnia habet, quæ illi necessaria sunt, quia eâ datâ omnia emere potest. Itâ oratio est pecunia spiritualis; quâ mediâ omnia acquirimus, quæ volumus. Olor. D. 5. Pascha.

Qui dedit vivere, docuit & orare. S. Cyprian. lib. de or. Dom. q. d. videte misericordiam Dei: nam, cum rebus tam multis indigeamus ad vitam sustentandam; re unicâ, hoc est, solâ oratione opus est, omnia illa parare. Did. Niss. D. 21. Pent. 5. 5.

§. V.

Ad orationem exaudiendam promptus Deus.

Ex Veteri.

Constitu mihi, quando deprecer pro te. Ex. 8. 9. Cur optionem temporis dat Pharaoni? Respondet Abulensis hic q. 5. quia, si diceret se hac die potius, quam aliâ oraturum; putaret Pharaonem, Deum non semper promptum. Mendoza in 1. Reg. annot. 8.

Qui respondit, cras. ib. v. 10. Beneficium odit, dum differri vult: adeoque Deum tractis moris offendit; ut beneficii dilationem a quis, & submerione, vindicârit. S. Ambros.

l. de Cain, & Abel: cum deberet in tantâ positus necessitate rogare, ut jam oraret, nec differret; respondit: crastinô die; otiosus, & negligens; morâ poenam Ægypti soluturus excidiô. Naxera in Jos. 8. 5. 5.

Itâ ut tintinabulum sit aurum. Ex. 28. 34. Sanctuarium ingressurus summus Sacerdos, tintinabulis aureis personantibus cingebatur. Principes viri apud se habere solent tintinabula, quorum pulsa suis famulis præscribunt tempus ad se ingrediendi; ut non intro famuli, quando volunt, sed quando jubentur, ingrediantur; at verò Deus non apud se hæc tintinabula servabat; sed Sacerdoti committebat: ut ostenderet, orandi, & ingrediendi ad se, tempus non ab ipso Domino, sed à famulo præscribendum. Mendoza in 1. Reg. annot. 8.

Cumque elevasset Moyses manum, percussit virgâ bis silicem, egressa sunt aquæ largissimæ. Num. 20. 11. Hic Deus in Moysen, & Aaron, itâ exasperatus est; ut transire Jordanem prohibeat, morteque condemnet. *Non introducetis &c.* Mortis luunt penas, pro levi, ut multi putant, culpa; cum Aaron pro sacrilego vitali opificio penas capitales non solverit. Beneficium dubitatione tardârunt. Naxera in Jos. 8. 5. 5.

Ne timeas, neque formides. Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum-surgens diluculo recessit socios &c. Jos. 8. 1. 10. Expeditionem accelerat: ne, dum Numinis liberalitatem vel tantillum retardat, iram incurrat: nam scit, Deo quàm maximè displicere, qui beneficiis ejus vel tantillum resistit. Id. ib.

Surge, & comede. 3. Reg. 19. 5. Cujus præstat beneficium? amici, qui plures; an Angeli, qui unum panem porrexerunt? dico Angeli: quia non rogatus dedit, & preces prævenit. Deum factis expressit; dum dormientem excitavit, & in oblii finem donum ingessit. Id. in Jos. 15. 5. 35.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Dixerat quasi ad absentem. Debuisset item dicere, *quia meliora sunt ubera ejus vino.* Mutat modum loquendi, & præsentem alloquitur. O ingens vis orationis! vix sunt finita verba, & jam oratio est exaudita. de Ponce hic Exh. 2.

Clamabis; & dices, ecce adsum. Il. 58. 9. Cum nondum ad finem oratio venerit; ipsum orationis filum interrumpet, & dices, ecce adsum. Pinna in Eccl. 2. Ethol. 31.

Vidit, & aperiatus est, quia non est, qui occurrat. Il. 59. 16. Pagninus: admiratus est, quia non esset, qui oraret. Alii: infirmatus est, ceu lactis abundans nutrix; quæ, si mamillas non exoneret, infirmatur. S. Thom. Chrysoft. Hieron. & Ambr. legunt: vidit Dominus, & depauperatus est: sicut mercatores, si expositas merces non vendant, pauperes fiunt.

Quasiervant me - Ecce ego: ecce ego. Il. 65. 1. Nota alacritatem nostram erga Deum; vicissim Dei alacritatem, & beneficia, in nos provocare. Deus enim munificentissimus munificens.

ficentia se vincti non patitur; sed volentibus sponte occurrit, eorumque vota implet; imò superat. Hoc significat hæc iteratio: *ecce ego, ecce ego*. Cornelius hic.

Decies millies centena millia assistebant ei. Dan. 7. 10. Agnosco ingentem numerum cubicularium Dei: non tamen puto, eos illic adesse, ut arceant supplices. S. August. l. de temp. 171. stant Angeli ad januam; ut introducant, non repellant; ut suggerant, non ut terreat. Hoc amat janua Salvatoris; ut pulsatoribus semper abundet, opportunis, importunis. Propterea ipse Dominus, videns januam suam à petitorum voce, & à pulsantium clamore, silere; invitavit omnes; omnibus paratus tribuere pietatem: *petite, & dabitur vobis, pulsate*. Luc. 11. 9. Nulla est pompa in janua mea; ego sum janua. Oliva t. 1. conc. 31. quinto die Ven. in Quadr.

Ex Novo.

Volo, mundare. Matth. 8. 3. S. Ambros. l. 5. in Luc. illud mirabile, quòd eò sanavit genere, quò fuerat obsecratus. Mira Christi bonitas: quæ non solum dat homini sanitatem, sed etiam modum, quem is præscriperat, in largiendo servat. Sylveira hic.

Tenuit manum ejus. Matth. 9. 25. Præstitit Christus, & rem, & modum, petita: dixerat enim archisynagogus: *veni, & impone manum tuam super eam*. Sylveira hic.

Fiat tibi, sicut vis. Matth. 15. 28.

O mulier! magna est fides tua. ib. Quid hanc fidem adeò commendat? preces, & vota, multiplicat. Nihil talis esset fidei, Deum haud credidisset: videbat enim, diu retinere beneficium, differre vota; quæ omnia divinitatis ingenio ad speciem quodammodo repugnabant. Homini enim in more, cum importunius rogantur, differre beneficia: Deus verò festinat antevertere vota. Ergo beneficentiam tardantem aspicere, & Deum credere, eximia erat fidei elogium. Naxera in Jos. 15. §. 35.

Quis vestrum habebit amicum &c. Luc. 11. 5. 7. S. Chrysol. l. 39. O quam pulsanti iste gelavit occurrere, qui sic secreti sui cubile collocavit ad januam: qui, dormientibus servulis, pulsantis necessitatem solus, & primus audivit. Nota: in eodem cubili cum Domino servi dormiunt: quibus incumbere attendere, quis pulsaret ad januam, nè Domini quies turbaretur. Et tamen solus Dominus vigilat; servi dormiunt, cum homo petens panes, pulsatur. Pro certo habe: quòd, cum necessitate laborabis, omnes in tui auxilium dormiunt; solus Dominus vigilat, & opem fert. Sylveira hic. 20. q. 4.

Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Luc. 23. 42. Dominus respondit: *hodie*. Euseb. Emis. hom. de B. latrone: hodie inquit q. d. quid me ò fidelis meus, & unicus tanti testis triumphus; quid me tantò tempore exorandum putas, ut in die iudicii mei meminerim tui? quid me ad præsentem retributionem paratum longè dissimulas? quid in futura sæcula fidem in te perfectam fatigas?

Polyanthea Sacra, Tom. II.

Quasi perfecta fidei non congruat; & Deum credere, & diu beneficia tractatum putare. Naxera in Jos. 8. §. 5.

Vis sanus fieri? Joan. 5. 6. S. Cyrill. Alex. l. 2. c. 124. interrogatio huiusmodi, si vellet rem optatam consequi, ad intelligendum reducit, quòd ipse facile id præstare possit.

Ego sum ostium. Joan. 10. 7. Nam sicut ostium primum intrantibus domum occurrit, imò excipit; sic Christus D. non modò petentes audit; verum etiam ad petendum invitat, & laceffit. Imò dicit Joan. 14. 6. *ego sum via*: quia licet ostium intrantes excipiat; quandoque tamen clauditur, & aditum negat: at via semper, diu, noctuque, patet. Pinna in Ecl. 2. Eth. 31.

Ex Patribus.

Mavult D. Jesus nimio in Discipulos amore propensus, petentibus his, quæ cognitu invidia judicaret, videri ignorare, quam negare. Marci 13. 32. Plusque amat nostram utilitatem instruere, quam suam potentiam demonstrare. S. Ambros. l. 5. c. 6. de Fide.

Non ambigendum est, quin libenter pulsanti aperiat. (Luc. 11. 9.) qui nondum pulsantem hortatur, ut pulsaret. Richardus à S. Victore. tr. de grad. char. c. 3.

Suavis Dominus, & mitis, patentem habet januam pietatis: nec recusat inde pulsantes; sed accusat potius negligentes. Neque enim aliquid petitur, quòd non habeat; ut, cum non dederit, erubescat. S. Fulgentinus serm. omni tempore dicendo.

Non assistit miles, qui expellat; non satellites, qui tempus interrumpat. Non est, qui dicat: non est nunc tempus accedendi, veni postea: sed quando veneris, stat audiens; etiam si tempore prandii, etiam si tempore coenæ, etiam si nocte intempestæ. S. Chrysol. in Ps. 4. apud Mendoza in 1. Reg. annot. 8.

§. VI.

Oratio luctatur cum Deo, tenet eum.

ET ecce vir luctabatur cum eo usq; mane. Gen. 32. 24. Sicut ille Jacob luctatus est cum illo Angelo, in quò sine dubio Deus erat; qui & victum se fatebatur: ita luctari debet verbi Dei amator cum sermone, vel Scripturâ, quæ est ex Deo; nec dimittere, antequam vincat vincti volentem; sensumque comprehendat utilem in litera latentem. Lucta enim pulcherrima est, tam diu perseverare petendo donec inveniat pulsando; donec sibi aperiat. Rupertus l. 7. in Matth. 7. Hæc sunt duo brachia, scilicet oratio, & lacrymæ, quibus Jacob cum Domino luctatus est. Hugo Card. in 1. Reg. 1. 3. Si quæras, quare Deus sic luctabatur, quòd luctantem superare noller? Ad hoc est prima ratio: ad monstrandum scilicet, efficaciam fortis, & fiducialis, orationis. S. Thom. Aqu. in Gen. 32.

Dimitte me, & deleam eos. Ex. 32. 10. Quando dicit, *dimitte me*; ostendit, se teneri posse, nē faciat, quod minatus est: Dei enim potentiam servi preces impediēbant. S. Hieron. ep. 12. ad Gaudentium de Pacatula infantula educatione. Quasi victus esset Dominus, dicit: *dimitte me*: quia Sancti suis orationibus, & desideriis, tenent eum; nē in peccatoribus suam exerceat iustitiam. Hugo Card. in Gen. c. 32. *Non est, qui invocet nomen tuum; qui consurgat, & teneat te.* II. 64. 7.

Tenui illum, nec dimittam. Cant. 3. 4. Tenetur Deus orationis devotione, desiderio, importunitate, memoriā, prece, fide, & expectatione exauditionis: nec dimittitur, si ab intentione non cessetur, nec vultus amplius in diversa mutetur. Richard. à S. Vict. hic.

Tu noli orare pro populo hoc; nec assumes pro eis laudem, & orationem, & non obstitas mihi. Jer. 7. 16. alii: *nē depreceris me.*

Stans Jesus &c. Luc. 18. 40. Vide, quanta operatur oratio perseverans. Oratione suā stare fecit solem Josue ad occasum pergentem. Properabat Jesus Jerosolymam, ut occumberet; & summā celeritate viam perurgebat: detinetur verò oratione cœci. Olorius D. Quinquas.

Coegerunt illum. Luc. 24. 29. Sed quomodo cogitur Christus? qui nullis potestatibus subiacet? penitus pijs precibus & orationibus humilibus detinebat. Hōc quippe modō Jacob Angelum detinebat; cū Angelus diceret: *dimitte me, aurora est.* Similibus reliculis Moyses Dominum ligaverat, *dimitte me.* Simon Cas. l. 14. hic.

§. VII.

Oratio fortis, victoriosa.

Num. 1.

Contra hostes visibiles.

Do tibi partem unam &c. Gen. 48. 22. Paraphrasis Chald. *do tibi partem partem quam supra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, oratione mea, & observatione.*

In gladio & arcu meo. Gen. 48. 22. Dices: hunc agrum emit Jacob. c. 33. 19. & Jos. 24. 32. Quomodo ergo dicitur hic, quod eum acquisierit gladiō? Chaldaeus, & ex eo Abulenſis, vertunt: quæ euli gladiō, id est, oratione, & precibus, hæc enim sunt arma Sanctorum. Cornel. hic.

Cūque appropinquasset Pharaō timuerunt valde, clamaveruntq; ad Dominum. Ex. 14. 10. Pharaō, qui resistit miraculis pervicax, orationi concessit triumphum. Naxera in Jos. 14. §. 24.

Cūque levaret Moyses manus, vincebat Israel &c. Ex. 17. 11. Orat Moyses, & vincit; cessat, & vincitur. Dicit Christianus quid gerat; invenit, quid fugiat. Dicit, inquam; unde aut vincatur, aut vincat: quamvis instantius Christiano orandum sit: &

quia periculosior hostis est, & pro seipso, non altero, pugnat. Unde apparet vires hosti illi dare, qui cessat; & sese ei subicere, qui non orat. Quod totum est, odisse sua, & diligere aliena: sibi ipsi hostem existere, dum contra hostem nolit jugiter orare. Hostis enim, dum oras, premitur; dum cessas, erigitur. S. Chrysoſt. tom. 1. serm. de Moyses. Moyses contra hominem, & pro aliis orando, pugnat. Nec quisquam poterit excusari, qui hostem vincere nolit, dum orando cessavit. Et tamen in Moyses corpus deficiebat, non voluntas aliquando cessabat. Si ergo fragilitatis causa in Moyses, excusari non potuit, quemadmodum in nobis voluntas poterit excusari? S. Rupertus l. 3. c. 20. in Exod.

Vociferamini. Jos. 6. 16. *Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Ex. 5. 14. Lyr. ad adiutorium vestrum. Ex quibus Josue auxiliis protegatur. Nihilominus Jericho invadens populū clamoribus cœlum pulsare imperat: *dixit Josue ad omnem Israel: vociferamini.* Omni populō vociferante muri illic corruerunt. Naxera in Jos. 6. §. 11.

Sol contra Gabaon nē movearis. Jos. 10. 12. Cajetanus: primum elevavit mentem in Deum, supplicando pro integrā victoria: & Deus inspiravit ei, ut indiceret soli, & lunæ, moram. Dixit Moyses ad Josue: *elig viros, & egressus pugna contra Amalec.* Ex. 17. 9. Adhuc tyro in hostes involavit intrepidus; & modo jam strenuus, totque claris trophæis, divinā adhortatione egebit, nē prælia detrectet pavidus. Vivente Moyses pugnam inire non timuit, fretus Moyses præcationis auxilio: at mortuō jam Moyses, quia defunt illi orationis arma, timet inire conflictus. Naxera in Jos. 10. §. 41. oratio inexpugnabile telum.

Vocavitque ronsorem, & rasi septem crines ejus. Judic. 16. 19. Vidisti fortissimum Samsonem? quæ ille facinoræ non egit? quos hostes non contrivit? sed hæc omnia, dum crines salvi in capite: verum, abrado capite, quam miser! Joachimus Abb. p. 1. expof. in Apoc. necesse est, ut mens fortis viri sanctis, & Deo dignis meditationibus implicetur: alioquin, ut ruat, necessum est; qui abrado interiori capite, fortiter se posse agere, & in toto stare, præsumit. Bæza t. 1. l. 4. c. 1 §. 2.

Porrò faber ferrarius &c. 1. Reg. 13. 19. Porrò Deus eludit cautionem, & prudentiam Philistinorum, dum per Samuelem dedit Hebræis victoriam sinē ferrō, & armis ferreis. Unde S. Gregorius: armati ab inermibus victi sunt: ut totum, quod vincitur, omnipotentis Dei laudibus tribuatur. Mysticè faber est orans, & meditans; qui æma spiritalia in igne devotionis cudit. Cornelius hic.

Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel. 1. Reg. 17. 45. Admirandus ille David Goliath illum immanem, cū veluti dæmon quispam formidandus irrueret; non armis, neque gladiis, sed precibus, dejecit. S. Chrysoſt. de orando Deum

Deum I. I. Sincerae, intentaeque precationi deditur perficiebat, quaecumque volebat; & orationibus suis bella conficiebat; trophaeaque statuens victoriam victoriae copulabat. Habuit enim invicta arma, superna scilicet praesidia; quae non solum ad humana bella conficienda sufficiunt; sed etiam ad demonum cohortes perimendas. Id. in Gen. hom. de S. Davide notu orare solito.

Cumq; orasset Eliseus. 4. Reg. 6. 17. 18. Licet Eliseus pro se videret mortem plenum equorum, - oravit tamen ad Dominum. S. Ambros. l. 86. S. Eliseus hostes suos non armis superabat, sed oratione vincebat. Nam cum idem ministro suo, ad depellendum ejus timorem plures adesse diceret defensores, nec metes ab illo posset auferri; tunc oravit ad Dominum. Naxera in l. 6. §. 11.

Clamavit omnis populus &c. Judith. 4. 8. Israelitae ad Holofernis potentiam repellendam magnis praesidiis se munierunt v. 3. praecipuerunt omnes vertices montium &c. sed perinde, ac si haec omnia munimenta inania censerent, ad orationem confugerant: & clamavit &c. Lyran. fecit primo, quod potuit; ne tentaret Deum, sed residuum, quod facere non poterat, Deo precibus commendabat: Certus omnino, vana esse omnia praesidia, humana, nisi divinitus firmarentur. Judith ipsa, non modo in periculo precibus incumbebat. c. 9. 2. sed & cum pugna penes confecta, & victoria parva, videbatur (jam enim stabat ad lectum Holofernis altum dormientis, jam ejus gladium manu altera evaginaverat, jam nihil aliud superesse videbatur, quam victoria) & nihilominus, de successu adhuc timida, orat. c. 13. 9. *confirma me Domine Deus in hac hora.* Mendoza in 1. Reg. 7. annot. 28. sect. 2.

An putas, quia non possum rogare Patrem meum &c. Matth. 26. 53. Cur non (quod ad speciem opportunius) dixit: an putas me divinitate nudatum, quem velut inermem, & imbecillum, inconsulte defendis? Divinitatem tacet, & rogandi potentiam ostentat. Est enim vel unius justii, ut profliget hostiles copias, oratio validior, quam armatorum manus; ut orantem, licet inermem, vincat. Naxera in Jos. 7. §. 14.

Historia.

In arcum redactus ab hoste, accivi, quos Christianos vocamus. Si perquisiti multi reperti sunt. Infirmi in eos, quod non debueram, ut postea cognovi ex mirifica eorum potentia. Qui mox rem aggressi sunt absque telis, armis, tubisque: nimirum abstinentes ab hujusmodi paratu, & contenti Deo, quem circumferunt secum in conscientia. Credibile est igitur, licet impios existimemus, Deum pro munimento habere in pectore. Prostrati enim humi non solum pro me deprecati sunt, sed & pro praesenti exercitu; petentes opem contra urgentem sitim & medium. Quintus enim dies erat, in qua aqua carere coeperamus: eramus quippe in hostili solo, in ipso meditullio

Polyanth, Sacra, Tom. II.

Germania. Confestim autem, ut procubuerunt in facies, & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum; descenderunt de caelo, in nos quidem frigidissimus imber, in nostros vero hostes grando mixta fulminibus; ut sine mora sentiremus praesto esse invictam opem Dei potentissimi. S. Justinus M. ex epistola Marci Aurelii Antonini Imperatoris ad Senatum.

Quis inter Europae reges aut viribus robustior, aut militari arte doctior fuit Lusitaniae rege Alphonso Henrico? à nullo unquam victus; precibus tamen cujusdam sancti Eremita, victorem se è bello semper redire, non erubescere dictitare. Verba tegis refert Petrus Barbosa de invidia, & vera ratione status: ipse me adjuvabat ad praemia sic bene; quod, cum oraret, ego vincebam; & uno die, quo fui sine illò multos milites amisi, & recessi cum lazaria, quia rixavi sine oratione boni viri. Nunnus Alvarez Pereira Lusitani regni assertor sub Joanne I. ad bellum non prodibat, quin prius orationi vacaret, & saepe flagellis se ipsum caederet. Alvarez in Gen. 48. Illustr. 321.

Num. 2.

Contra invisibiles.

Bonum scutum oratio, quò omnia adversarii ignita spicula repelluntur. S. Ambros. orat. funebri de obitu Valentiniani Imp.

Preces vocat S. Chrysof. hom. 29. in Gen. inexpugnabilem murum, tutam anchoram, portum fluctuum expertem; per quas omnia difficilia levia, & facilia sunt. Praesidium animae inexpugnabile. Id. hom. 26. in acta.

Non leonis rugitus bestias sic fugat, ut justii oratio demones. S. Chrysof. hom. 53. in act.

Nihil aequè pollet, ac deprecatio: haec enim est, quae ex impossibilibus possibilia facit, ex difficilibus facilia; & ea, quae minus recte habent, corrigit. Id. tom. 6. hom. de Anna.

In tentationem vadit, qui ad orationem non vadit. S. Chrysol. l. 43.

Novit sacrilegus impostor; se in animam, quae in oratione constanter perseverat, nihil posse; deque ea subvertenda se prope desperare debere. Ex vita S. Theresiae lum. & dogm. spir.

§. VIII.

Oratio transfiguratur, illuminatur, confortatur &c.

Ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consorcio sermonis Domini. Ex. 34. 29. Ex contemplatione facies fit lucida, & cornuta. de Ponte in Cant. 3. Exh. 23. §. 2.

Transfiguratus est ante eos. Matth. 17. 2. In oratione facies hominis illustratur: quia, dum facies mentis nostrae ad Deum convertitur, illuminatur, melioratur, & perficitur, S. Bonaventura in c. 9. Luc.

H h 2

Sur-

Surgite eamus. Matth. 26. 46. Expende alacritatem, quâ obviam hostibus procedit. Paulò antè totus pavebat; modò alacer, omnî objectò pavore, occurrit hostibus. Unde tanta alacritas, & animositas? oravit ad Patrem. Et ubi oratio intercedit, nullus timori aditus patet. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 7. intellige, quantum oratio conferat; quæ paventem, & agonizantem recipiens Dominum, illum exhortantem reddiderit, atque intrepidum. Unde aiebat: *surgite, eamus.* Baeza t. 3. l. 15. c. 3. §. 2.

Facta est, dum oraret, species vultus ejus altera. Luc. 9. 29. Gilbertus f. 15. in Cant. voluit per hoc in mente sua orationis commendare virtutem: quòd illa sit, quæ te in intimis alterum faciat; & novum commutet in hominem. *Quere in domo Jude Saulum nomine Tarfensem: ecce enim orat.* Act. 9. 11. Mira res! caligabat Saulus, jejunabat, & flebat. Et Dominus, his præteritis, unam in Saulo orationem deprædicat; quam velut obfidem paventi Ananias Saulum? heri spirabat cædes; sed hodie candidatus est fidei, & Apostolatus. Et quale signum tanti prodigii? unde sciam tyrannum in Apostolum evasisse? Orat. Si orat, jam Paulus est. Olival. 4. Strom. §. sic non potuistis unâ horâ &c.

Qui cum Deo loqui didicit, ut par est eum, qui cum Deo loquitur, erit deinceps Angelus: ita liberatur anima à vinculis corporis. S. Chrysof. in Pl. 4.

Ora mansuetè, & quietè; ac cane prudenter, & concinnè: & eris tanquam pullus aquilæ, quæ volatu in sublime fertur. S. Nilus or. 76.

Angelus efficitur similis Monachus, qui per veram orationem cupit videre faciem Patris, qui in cælis est. Id. 107.

Animæ tuæ lux est oratio. B. Iſaias Abb. or. 4.

§. IX.

Oratio mira impetrat.

SI beatus David, cum esset rex, & innumeris immerfus curis, & undique distractus; septies in die Dominum rogabat: quam nos veniam habuerimus, & excusationem, tantum habentes otii; nec ipsi continuè supplicantes? Impossibile enim, impossibile; hominem congruè precantem studio, Deoque continuò supplicantem, unquam peccare. S. Chrysof. hom. 79. ad pop. Antioch.

Elias autem ascendit in verticem carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua. Eccl. 3. Reg. 18. 42. quibus peractis magna supervenit aquarum abundantia. Quid quæso intendebat Sanctus Propheeta hòc difficili orandi modò? Amor proximorum sic eum fecit orare. Diez. Amor proximorum.

S. Urbanus, Ep. Lingonens. in Gallia, oratione non semel imbres repressit, turbines dissipavit, & vites præservavit: unde patronus vinearum; licèt vulgus colat S. Urbanum Pa-

pâm, cujus festum 25. Maij. Bollandus 23. Jan.

S. Patritio Hyberniæ Apostolo, ædificaturo Ecclesiam obstitit quidam ex magnatibus, cum hac conditione permitrens, si transferret ingentem montem, quò obstabat, qui minùs amœnum stagnum ex arce sua videre posset. S. Patritius fusâ oratione mox montem fecit abforberi in terram. Inchoanti ædificium pertinaciter rursus obstitit. Sanctus rursus orat. ad Dominum: & mons rursus excrevit in pristinam celsitudinem. Boll. 17. Martij c. 13.

§. X.

Oratio semper aliquid impetrat.

IN te speraverunt Patres nostri. Pl. 21. 5. Necessè est, ut ad utilitatem suam audiatur, qui clamat ad Dominum: Dominus enim justos suos semper exaudit; sed quemadmodum illis expedire cognoscit. Cassiodorus hic.

Conside fili. Matth. 9. 2. Non pro peccatis remittendis, sed pro fanitate corporis, paralyticus inferebatur. Sed Christus semper superbonus, & meliora exhibet petentibus, quam rogatus; & ex fide inferentium priùs sanavit animam, quam donasset corpori petitam sanitatem: ut ex peccatis cognosceretur adesse illa turpis infirmitas, propriis, aut paternis: & ut ostenderetur, priùs animarum, quam corporum, quærendam esse salutem. Sed opprimit sæpe mentem tener hominum sensus: ut cum conturbatus extiterit, priùs sibi, quam animam, quærat adesse medelam. Sed amatore hominum Christus conferendo docet, quid in donis primò sit ab eo petendum; cum sanitati corporis sanitatem animæ prætulit, & remissionem peccatorum. Sim. Cals. l. 5. c. 17.

Tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam. Joan. 4. 10. Orationes nostræ nunquam exeunt à Deo vacuæ: non enim ait, forsitan daret tibi, sed absolute, & dedisset tibi. Dubium est de oratione hominis, non de impetrando aliquo dono à Deo. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 18.

Exauditur homo semper ad meritum, sed non semper ad votum. S. Bonav. l. 74.

Contingit quandoque, quòd Deus hominem exaudit non ad votù, sed ad profectù. Sicut enim medicus non exaudit ad votù, sed ad profectum, infirmum postulanti amoveri medicinam amaram: si medicus eam non removeat, eò quòd sciat, eam esse salutiferam; exaudit tamen ad profectum, quia per hoc sanitatem inducit, quam maximè infirmus desiderat. Ità Deus homini in tribulationibus constituto tribulationes non subtrahit, quamvis deprecanti: quia scit, eas expedire ad finalem ejus salutem. S. Thom. Aqu. in Job. 9. lect. 3.

Quoties unum petis aureum, toties ille tibi centum reponit in caelis. Fieri non potest, ut etiam minima precatiuncula ritè fusâ, aut minimus gemitus, minimumve suspirium ad Deum piè emissum grandi fructu careat. Lud. Blofius Concl. an. spir. c. 6. §. 7.

§. XI.

§. XI.

Oratio sepe bono nostro non exauditur.

Extende paululum manum tuam, & tange &c. Job. 1. 11. Non aliquid injustum petebat Apostolus, quando rogabat. 2. Cor. 12. 8. ut auferretur ab eo stimulus carnis; & tamen rogavit, & non accepit. Petiit Job tentandum diabolus, & accepit. Quid dicam? comparandus diabolus Apostolo? Apostolus rogat, & non accipit; diabolus petit & accipit. Sed non accipit Apostolus propter perfectionem suam; accipit diabolus ad damnationem suam. Denique ipse Job accepit sanitatem in opportunitate. Dilatus est, ut probaretur: & rogabat Deum, ut auferrentur ab eo ista; & Deus non auferrebat. Citius diabolus exaudivit ad eum tentandum, quam ipsum Job ad sanandum. S. August. in Ps. 144.

Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies; & nocte; & non ad insipientiam mihi. Ps. 21. 3. id est, per diem, & noctem, clamo; & tu non respondes ad insipientiam petitionis petentis, quod noxiuum est; sed ad sapientiam tuam: qui scis, salutare mihi non esse, petitis frui. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 12. f. 2. obl. 5. Multi clamant in tribulatione, & non exaudiuntur: ut intelligat homo, medicum esse Deum; & tribulationem medicamentum esse ad salutem; non poenam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, feceris; clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. S. Augustinus hic.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem; nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum; nunquid porriget illi scorpionem? Luc. 11. 11.

Nunquam dedisti mihi hœdum. Luc. 15. 29. An non hœdus Symbolum damnatorum à sinistris? S. Hieron. ep. ad Damasum: nunquam Pater deteriora dat munera. Quid hœdum quæris, cui agnus est missus. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 11. f. 3. obl. 3.

Sententiæ Patrum.

Omnipotens Deus, quid nobis profuturum esse valeat, sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, ut augeat utilitatem; ut purgetur vita per poenam; & tranquillitas, quæ hic inveniri non valeat, alibi quaeratur. S. Gregor. môr. l. 14.

Prorsus tanquam reficiens ægrotum in opportunitate; quando debet accipere, tunc das; & quod debet, hoc das. Itaque aliquando desiderantur ab illo, & non dat: novit horam dandi, qui curat. S. August. in Ps. 144.

Qui non intelligunt, quid sibi prosit, & orant frequenter contraria; expedit eis, ut non exaudiantur à Domino. Unde & in oratione Dominica dicimus: *fiat voluntas tua.* Matth. 6. 10. non voluntas nostra, quæ errare consuevit; sed voluntas tua, quæ futura cognoscit: magnæque interdum felicitatis est, ad præsens

miseri cordiam non mereri. S. Hieron. l. 3. c. 8. Ezech.

Nostorum medicus animarum, non quæ nobis fraudi postea futura sunt, dare sustinet; neque enim parentes iis quos amant, paryulis adhuc filiis, vel gladios, vel ignitos carbones, adduci possunt, ut porrigant. S. Chrysostr. tom. 6. or. de inflit. secundum Deum vita.

Tanta super te cura est Deo tuo, ut, quoties ignorans quæris, quod tibi inutile est; non te audiat super hoc, sed mutet illud utiliori donò. S. Bernardus l. 5. de triplici modo orat.

Sæpe magis est clementiæ parentis Domini negare ampliora gratiæ dona, quam irascentis. S. Bonavent. de reformat. mentis p. 1. c. 18.

§. XII.

Quidam malò sub exaudiuntur.

Mittamus viros, qui considerent terram, & renuntient &c. Deut. 1. 22. Iniquè id petierunt; utpote de divinis promissis dubii, & de providentia Dei diffidentes. Sed quid Dominus ad Moysen? *mitte viros, qui considerent terram.* Num. 13. 3. Cur malè petentibus Deus acquiescit? Lyran.: fuit permissio ad malum populi malè petentis: sciebat enim Dominus, quod per exploratores deciperentur. Et ita factum: regressi exploratores mendacis eos ad rebellionem impulerunt. Mendoza in 1. Reg. 8. annot. 33. sect. 1.

Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt. Job. 1. 12. Diabolus petiit sanctum virum tentandum, & accepit: exauditus est ad voluntatem; sed ad damnationem. Ideo enim concessus est iste tentandus; ut, eò probatò, esset ille cruciandus. S. August. tr. 7. in ep. S. Joan.

Audi vocem eorum. 1. Reg. 8. 22. Quærit S. Gregorius l. 4. c. 1. cur Deus comedat id, quod malè petitur? Respondet: quia petenti irascitur; eumque vult suâ petitione, quasi justâ vindictâ, plectere. Anastasius Nicænus q. 15. in Script. narrat de Monacho quodam, qui sceleratæ civitatis creatus Episcopus; cum hoc honore insolesceret, ab Angelo correptus audivit: cur superbis; & magnificè tibi places? ô infelix! non es creatus Episcopus, quod dignus sacerdotiò sis; sed quod civitas talis tali digna erat Episcopò. Cornelius hic.

§. XIII.

Oratio cur sæpe serò exauditur.

Num. 1.

Quia dilata chariora.

MAnhu? quid est hoc. Ex. 16. 15. Semel precanti populo manna datur, Angelorum esca; at citò viluit. Quare non magni habitus cibus, colligatio omnis suavitatis? quia indefideratus obvenit. At aqua de petra profluens sitienti diu Israël exhibetur dulcissima: quia post multas preces, & desideria, promanavit. Unde Ps. 80. 17. *de petra melle saturavit eos.* S. August. l. 5. de V. D. cum aliquando tardius dat, commendat dona: diu desiderata dulcius obtinentur; citò autem data vilescunt.

H h 3

cunt. Escobar tr. Coll. Chr. l. 12. sect. 2. obf. 2.

Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi - & innisit in os meum anticum novum, carmen Deo nostro. Pf. 39. 1. 4. Id est, novam mihi latandi, & laudandi materiam misericordia diu expectata dedit. Diez Misericordia Dei.

Eò quòd esset Elisabeth sterilis. Luc. 1. 7. Quare sterilitas horum parentum explicatur? V. Beda hic: divinitas est procuratum, ut provec-ta atatis, diuque conjugii fructu privatis Joannes parentibus nasceretur: quatenus, inopinatò prolis ortu, & ipsis donum gratius efficeret, & ceteros miraculi stupor futuri propheta pararet auditui. Nam quantò res desiderata magis est extra spem, tantò majori cum gaudio suscipitur. Sylveira hic. §. 8.

Rogaverunt illum pro ea. Luc. 4. 38. Quòd Dominus vult rogari, nec facile sua dona impertit, id facit, quòd chariora fore novit, quæ obtinentur agrius. Did. Nifs. f. 5. D. 3. Quadr. §. 5.

Petite, & dabitur vobis; querite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Luc. 11. 9. Derogare videtur generosa largitati, quòd non antea beneficia sua erogare velit, quàm ea assiduis precibus, & diuturnâ pulsatione, & operosa inquisitione, tantò scilicet pretiò, comparaveris. Respondet Faustus Ep. Rhegiens. non vult Deus noster dona sua nimia inveniendi facilitate vilescere. Pretiosa, & concupibilis, mora cupidum amatorem, atque avidum negotiatorem, requirit. Did. Nifs. ib.

Quid mihi, & tibi, est mulier? Joan. 2. 4. Cur Dominus tam severe matri respondet? S. Cyrill. l. 2. c. 23. non à se, neque non rogatus, ad actionem miraculorum Dominus solet pervenire; quamvis gratiora sunt, quæ petuntur, si aliquantulum differantur. Hugo Card. ista repulsiò significat, quòd Deus aliquando non exaudit; nec dat statim, quòd petitur; ut avidius petatur: & cum exaudierit, & peti-tum dederit, diligentius custodiatur. Sylveira hic. q. 18.

Tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Joan. 11. 6. S. Basilii Seleuc. hom. 3. de Lazaro: cunctantius ad opus aggreditur: siquidem gratia, quæ statim indulgetur, & quasi-obtruditur, non est ita conspicua.

Præcepit, ab Hierosolymis nè discederent, sed expectarent promissionem Patris. Act. 1. 4. Et quando promissum spiritui n. misit? forsitan mox, ut in regnum suum appulit? Non. sed post decem primum dies: ut scilicet tantum donum acceptius fieret. Did. Nifs. antè citatus.

Num. 2.

Quia expedit.

Et addidit Dominus omnia, quaecumq; fuerant Job duplicia. c. 42. 10. Ea jam videbantur Jobi mala; sic auxilium Dei differre-batur, ut vel ahenea spes posset deficere. Et tamen Jobi expectatio, & sufferentia, nullis dilationibus labat, nullis ictibus ruit. Baeza tom. 2. l. 6. c. 7. Matth. 15.

Ut quid Domine repellis orationem meam? Pf. 87. 15. Repellere putatur petitionem nostram, & avertere faciem suam Dominus; quando vota nostra distulerit. Et quamvis ille profutura faciat; nos tamen graviter dilata contristant. Sed non tantum prodest audiri, quantum expedit, pro muneris augmentatione, differrì. Sic ignis flatu venti repellitur; ut vivacius animetur. Cassiodorus hic.

Non respondit ei verbum. Matth. 15. 23. Unum beneficium foemina à Deo petit; Christus autem tacet; nec unum ei verbum facit; malens perseverantem petere multis dona: dumque ab ejus mente, & à corpore filiae demonem abigit; beneficium exhibet duplicatum. D. Ennodius l. 2. ep. 12. geminantur Dei dona sperantibus; & duplici exuberat superna gratia beneficiò. If. 61. 7. *in terra sua duplicia possidebunt.* Baeza t. 2. l. 6. c. 7. Matth. 15.

Nè petas à Deo imperiosè, quòd statim velis impetrare: vult enim diutius te beneficiò afficere in oratione perseverantem. Quid enim excellentius, quàm cum Deo colloqui, & usu ejus detineri. S. Nilus de orat. c. 32. Vide Desideria. Spes.

§. XIV.

Orantium varia commoda.

Num. 1.

Contra tristitiam.

Anna tristis oravit ad Dominum. 1. Reg. 1. 10.

Tristatur aliquis vestrum? orat. Jacobi 5. 13.

Oratio est doloris, & moestitiæ, expultrix. S. Nilus de or. c. 14.

Oratio est & gaudii, & gratiarum actionis, tutelare propugnaculum; tristitiæ verò, & pusillanimitatis amuletum præsentaneum. S. Antiochus Abb. hom. 106.

Num. 2.

Plus cum Deo, minus cum hominibus.

Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris lingue sum. Ex. 4. 10.

Et quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim in me remansit virum; sed & halitus meus intercluditur. Dan. 10. 17.

Egressus non poterat loqui ad illos. Luc. 1. 22. Hoc solet accidere his, qui elevantur in apicem contemplationis. S. Bonaventura hic

Negligit planè curam corporis, qui pabulo orationis intendit: nec hominum colloquium habere volet, qui divinis in oratione saginatur consolationibus. S. Laurent. just. de orat. c. 5.

Num. 3.

Alia orationis utilitates.

Qua est ista? qua ascendit per desertum sicut virgula sumi ex arematibus nyrrha, & thuris, & universi pulveris pigmentarii. S.

Cant. 3. 6. S. Ambros. præcipue tamē myrrhā redolet sponsa, & thus. q. d. Nota: quod duorum tantum in specie odorum meminerint Angeli, myrrhæ puta, & thuris: & quoniam myrrham, & thus, redolebat; omnis boni odoris, & universi pulveris pigmentarii copiā affluere illam dicebant. Thus enim orationis Symbolum. Pl. 140. 2. *dirigatur oratio mea sicut incensum.* Did. Nils. f. 5. D. 4. Quadr. §. 3.

Jesu baptizato, & orante, apertum est cœlum. Matth. 3. 16. Christus suscepto baptismo oravit: ad innuendum, quod preces nostræ non sunt Deo acceptæ, & meritoria; nisi à peccatis mortalibus sumus immunes, & charitate decorati. Charitas enim est vita animæ; sine qua nec anima, nec actio ejus, spiritualiter viva est, Deoque placita. Unde cum Dominus per Isaiam dixisset. c. 1. 15. *cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam;* adjecit: *lavamini, mundi estote.* v. 16. Secundò ad innuendum: quod gratia in Baptismo aliisque Sacramentis, adepta, per orationes continuas indiget custodiri, nè per culpam tollatur. Dionys. Carthuf. hic.

Impossibile, impossibile est; hominem, quæ decet, alacritate precantem, & assidue Deum orantem, unquam in peccatum incidere, causam addit: quia post orationem manet plerumque aliquis calor fervoris; quò facile possimus cuicunque tentationi resistere. Pergit: sed quia homines cum sumus, facile ad fœgniciem relabimur, exactâ unâ, alterâve, aut tertiâ, post precationem, horâ; ubi senseris pristinum illum fervorem paulatim frigidescere; recurre quanto citius ad preces, frigidescentemque mentem rursus accende. Id si per totam diem feceris, per intervalla crebris precationibus te ipsum accendens; non dabis occasionem diabolo, aut ullum ad tuas cogitationes aditum. S. Chrysostr. tom. 6. hom. de Anna.

Medici unicuique morbo suum applicant remedium: Sanctorum autem oratio commune malis omnibus est remedium. Ex Philotheo Theodoretici c. 16.

§. XV.

Orandi varia motiva.

ET erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6. 12. Species tibi datur, forma præscribitur, quam debeas amulari. Quid enim te facere pro salute tua oportet; quando pro te Christus in oratione pernoctat. S. Ambros. in Luc. l. 5. Orat misericordia, & non orat miseria: orat charitas, & non humiliatur iniquitas: orat innocentia, & non orat nequitia. Orat, qui peccatum non fecit, & non prosternit se multis peccatis obnoxius. Orat Judex, & desiderat parcere; & non orat reus, ut indulgentiam mereatur accipere. Orat judicaturus; & orare dissimulat judicandus. B. Cæsarius Arel. hom. 30.

Ecce, quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. Melius sibi dolentibus (Maria, & Martha) & fratri languenti, providere non poterant; quam ad eum recurrere, qui supra naturam, &

artem, potest conferre subsidia. Et multa in periculis docet necessitas, multa facit opportunitas, cogitare; ut, desperantes de humanis, ad divina se conferant. Sim. Cas. l. 5. c. 15.

Et orantes dixerunt. Act. 1. 24. Usitatum hoc semper Dei servis, ut, priusquam arduam aliquam rem aggredierentur, à Deo auxilium peterent. Ità rex Josaphat orabat. 2. Par. 20. 12. *cum ignoremus, quid agere debeamus; hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Et cum Jacob fratris timeret occursum, oravit ad Dominum dicens: *Domine, qui dixisti mihi &c.* Gen. 32. 9. Judith, antequam opus illud arduum aggredieretur, dixit: *nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.* Judith. 8. 33. Sic oravit Daniel 2. 18. antequam Nabuchodonosori somnium interpretaretur. Diez conc. 1. in festo S. Matthiæ Ap.

Recedit à Deo, qui per orationem sese non conjungit Deo. S. Gregor. Nyss. de orat. or. 1.

Idcirco in vita abundat peccatum, adjectionibus semper in majus augetur, & omnibus humanis studiis implicatum, quoniam oblivio Dei tenet omnes; & orationis bonum rebus seriis ab hominibus non simul adhibetur. Id. ib.

Inimicus, cum sit nobis semper infestus, tunc maximè adhsit infestior; cum contra se offerre nos Deo preces perviderit. Joan. Cassian. l. 2. de cœnob. instit. c. 10.

Quæritur: cur Sancti Patres fuerunt pastores ab initio? alia ratio potest esse: quia istud officium est aptum solitudini, & simplicitati, orationi, & meditationi. S. Thom. Aqu. in c. 4. Gen.

§. XVI.

Oratio Christi.

Porrò David ascendebat circum Oliværum. 2. Reg. 15. 30. Ut esset typus Christi; qui in eodem monte Patrem orans cum lacrymis, & sudans sanguinem, inchoavit Passionem, & redemptionem nostram. Cornelius hic.

Et progressus pusillum. Matth. 26. 39. Scribit V. Beda tr. de locis sanctis c. 6. & ex eo Baronius A. C. 34. petram, in qua Christus orans genuflexit, quasi mollem ceram in se genuum Christi impressa vestigia excepisse ipsum lapidem in Ecclesia asservari. Sylveira hic. Orat inter arbores Jesus, quia inter arbores peccavit, & non oravit, Adam. Sim. Cas. l. 13. c. 8. hic.

Procidit in faciem suam. Matth. 26. 39. Ut quasi reus, & poenitens pro nobis se sisteret Patri, eique totum se ad castigationem offerret. q. d. en ego pro hominibus reum me tibi dedo ô Pater! en paratus ad poenam. Cornelius hic.

Cujus (Christi) tota vita continua pro nobis, & perpes oratio fuit. Rupertus de div. offic. l. 1. c. 31.

§. XVII.

§. XVII.

Exempla Sanctorum.

Vlvoit Dominus Deus Israel - Sierit annis his ros &c. 3. Reg. 17. 1. Clavis caeli fit sermo Eliae sanctissimi: jubet enim, & clauditur; orat postmodum. & aperitur, caelum. S. Chrysof. f. de Elia.

Vespere, & mane, & meridie, narra- bo. Pl. 54. 18. Consuetudo ter orandi in die legitur etiam apud Dan. c. 6. Fortassis in honorem SSS. Trinitatis, cujus mysterium Prophetis non erat incognitum. Bellarmin. hic.

Jacobus flexis genibus pro populo deprecabatur in tantum, ut camelorum duritiam traxisse ejus genua crederentur. S. Hieron. lib. de viris illustrib.

Ruffinus in vitis PP. l. 3. n. 194. narrat de Religioso psallente, quod ex ore ejus per singulos versus fax ignis egressa ad caelum. Abbas Belarion oravit per quatuordecim dies continuos manibus in caelum extensis. Id. ib. n. 215.

Isaac Syrus spoleti templum ingressus petit ab adituis; liceret sibi preces producendi quantum vellet; concessum est. Itaque tribus diebus, ac noctibus continuis in oratione perstitit. S. Greg. l. 3. Dial. c. 31.

B. Helena Vidua, tertii Ord. Erem. S. Aug. totas novem horas quotidie impendebat orationi. Boll. 23. April.

§. XVIII.

Oratio quae sit efficax.

Num. 1.

Probi servantis praecpta &c.

Ex Veteri, & Novo.

Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Gen. 4. 4. Prius personam respexit, & ejus innocentiam; deinde munera: quae ex eo grata maxime fuerunt, quod a justo procederent. Ad Cain autem non respexit; & munera despexit; quia non erat cordis recti. Pl. 65. 18. *iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Marclatius D. 5. Pasch.

Tu unus prodecem millibus computaris. 2. Reg. 18. 3. Chald. tu potes roborare, sicut nos decem millia; & nunc bonum est, quod ores pro nobis ex urbe. Plus valet contra hostes unius justii oratio, quam exercitus. Sylveira in Apoc. 7. 9.

Si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus; si mundus, & rectus inceseris, statim evigilabit ad te. Job. 8. 5. 6. Si ergo a Deo exaudiri optamus, si aliquam gratiam specialem adipisci appetimus; non contradicat operatio orationi; nec ostendamus, per opera iniqua nos amare id, quod per orationem dicimus nos odisse. Dionys. Carth. hic.

Ignis in conspectu ejus exardescet, & in

circuitu ejus tempestas valida. Pl. 49. 3. Sed quod remedium ad avertendum tantum ignem, ad serenandam illam tempestatem, adhiberi poterit? *Congregate illi sanctos ejus.* v. 5. id est: si vultis, ut ignis remittat, ut horribilis illa tempestas quiescat; justorum, & sanctorum, virorum exercitum colligite: & videbitis ignem subito extingui, & tempestatis motus componi. Hugo Card. hic. *congregate illi sanctos ejus*, ut illi simul pro nobis intercedant. Quod enim Dominus uni sancto forsitan negaret, omnibus congregatis, & orantibus, non negaret. Sicut in claustris, quando Conventus totus petit ab Abbate, non est consuetudinis, ut patiantur repulsam. Did Nis. Phoen. Grac. l. 8. c. 5. Publicae orationis efficacia.

Custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo. Pl. 118. 169. S. Ambros. f. 22. hic: volare facit orationem bona vita, & dat alas precibus spirituales; quibus sanctorum ad Deum evehatur oratio. Mendoza in 1. Reg. 7. annot. 27. sect. 2.

Heu! heu! heu Domine Deus! ergone disperdes omnes reliquias Israel? & dixit ad me: iniquitas domus Israel, & Juda, magna est nimis valde &c. Ezech. 9. v. 9.

Effundam super habitatores Jerusalem spiritum gratiae, & precum. Zach. 12. 10.

Non possum surgere, & dare tibi. Luc. 11. 7. Quod ait Dominus Deus omnipotens non possum; non impossibilitatem, sed difficultatem, exaudiendi designat; non ex parte Dei, cum Deo nihil sit difficile; sed difficultas est ex parte orantis, propter indignitatem, indispotionemque ejus. juxta Pl. 59. *ecce non est aggravata auris Domini, ut non exaudiat: sed peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.* Dion. Carthul. hic.

Si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Joan. 9. 31.

Ex Patribus, & aliis.

Quid petitis de indulgentia Domini, quod non impetrare mereamini? qui sic Domini mandata servastis, qui Evangelicam disciplinam sincero fidei vigore tenuistis. S. Cyprian. ep. 16. ad Confessores Romanos.

Nihil est homine probò orante potentius. S. Chrysof. hom. 58. in Matth.

Quis unquam intimè, & devotè orare potuit, si vitam suam circumspicere, discutere, disponere, postposuit. Rich. à S. Vict. de erudit. hom. inter. l. 1. c. 12.

Est oratio infirma, quam non firmat dilectio. S. Bonavent. in Pl. 118.

Sol ad preces Josue stetit, & luna contra vallem Achilon non est mota: quia justii precibus obtinetur, ut à corde peccatoris sol justitiae non recedat; & mens hominis, quamvis in defectu prona sit, virtutum tamen stabilitate firmatur. Petrus Blef. ep. 144.

Num.

Num. 2.

Oratio pœnitentis.

Confitebimur tibi Deus & invocabimus nomen tuum. Pf. 74. 2. Mortem plerumque generat, vel semel terreno iudici crimina confiteri: Deo autem frequentata confessio non parturit periculum, sed salutem. Pulcherrimus currit ordo verborum: prius se dicit confiteri, id est, peccata deslere; postea invocare nomen Domini. Sic enim dignum est, ut ipsius munere prius corda nostra confessione purgemus, & sic ad auxilium suscipiendum nomen Domini invocare debeamus. Cassiodorus hic.

Surge, invoca Deum tuum. Jon. 1. 6. q. d. nisi à peccatis surrexeris, non exaudieris. Sic ille in se reversus. Luc. 15. 18. *Surgam, & ibo ad Patrem.*

Ahuc quadraginta dies, - & pervenit verbum ad regem Ninive. Jon. 3. 4. 6. Non legitur, à Jona petiisse preces pro se, aut civitate: sciebat enim rex, sterilem esse orationem sine lacrymis, & pœnitentia. Sylveira in Act. 8. 22.

Cum Petrus dixisset. Act. 8. 22. *pœnitentiam age - & roga Deum;* respondit Simon. v. 24. *precamini vos pro me.* S. Chrysostr. hom. 18. in Acta: oportebat illum totò corde agere pœnitentiam, oportebat orare: ille autem obiter hoc faciebat. Adde: magis confidebat alienis precibus.

Nihil est efficacius ad exorandum Deum, quam ut homo ipse se iudicet; & nunquam desinat à venia postulanda, qui se scit nunquam esse sine culpa. S. Leo f. 1. 5. de jejuniis septimi mensis.

Quomodo nos audiet Deus, cum nos ipsum non audiamus? quomodo faciet ille, quod volumus; cum nos, quæ ille vult, non faciamus? Origenes hom. 1. in Pf. 37.

Deum colere dicimus nos, & diabolo obtemperamus. Et post hæc volumus, ut bona à Deo accipiamus; cum mala semper malis addamus. Fieri voluntatem nostram à Deo cupimus; cum Dei nos facere nolumus: quasi nos superiores Deo essemus, agimus. Salvian. de Prov. Deil. 5.

Num. 3.

*Oratio cum lacrymis.**Ex Veteri.*

Et ecce vir luctabatur cum eo. Gen. 32. 24. Hæc sunt duo brachia, scilicet oratio, & lacrymæ, quibus Jacob cum Domino luctatus est. Hugo Card. in 1. Reg. 1. 3.

Anna oravit ad Dominum sensu largiter. 1. Reg. 1. 10. Sapius Anna à Deo petierat prolem; nec tamen consecuta est: at, cum flevit, fecunda facta. Pinna in Eccl. 241. Lacrymæ fructifera, ut Nilus; qui vehit non modò aquas, quibus tota Ægyptus irrigetur; sed etiam semina, quæ limò obruta, in segetes, & spicas, exurgant.

Polyantha Sacra. Tom. II.

Indulgentiam ejus suscipis lacrymis postulemus. Judith 8. 14. Cur non dixit, suscipis postulemus? Anselmus: *suscipis lacrymis postulemus*, quæ pondera vocis habent; quæ impetrant, non supplicant. Escobar t. 1. Mir. Chr. 1. 9. sect. 2. obl. 6.

Exaudivit Dominus vocem fletus mei. Pf. 6. 9. Lacrymæ vim vocis habent. Velloso in Judith. 6. Paræn. 12.

Rugiebam à gemitu cordis mei. Pf. 37. 9. Rugire non hominum, sed leonum, est. Cur Propheta non dicit, se loqui, aut clamare; sed rugire? S. Ambros. hic: rugit, qui gemitum solùm, non verba, exponit. q. d. cum quis voce à Deo petit, loqui dicitur; cum verò gemitus, & lacrymas, fundit, rugitus emittit. Pinna in Eccl. Ethol. 242.

Exaudi orationem meam Domine - auri- bus percipe lacrymas meas. Pf. 38. 13. Non nudam orationem, sed lacrymis exornatam, offert, ut exaudiat. Petrus Dam. opusc. 13. c. 12. lacrymæ magnas habent voces in auribus Creatòris; quas voces ille ad Deum frequenter emiserat; quid ad obtinendum possent, subtiliter noverat, qui dicebat: *exaudi orationem meam.* Sylveira in Act. 8. 22. Petrus Dam. 1. 3. de perfect: voces inesse lacrymis manifestè designat. Lacrymæ, cum in conspectu iudicis supplicant, nihil hæsitant; sed impetrasse se, quòd petierant, confidenter exultant. Escob. t. 1. mir. Chr. 1. 9. sect. 2. obl. 6.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes. Pf. 118. 82. quid dicentes oculi? nisi flentes. Velloso in Judith. 6. Paræn. 12.

Egrotavit Ezechias. II. 38. 1. à Prophe- ta monitus, ut se ad mortem disponderet, *oravit ad Dominum.* Non respondente Dominò, *flevit Ezechias fletu magnò.* v. 3. Vix primam lacrymam profudit, cum Deus inclinat: *audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos.* Galfridus: quàm festinus, & fidelis legatus est supplicantis lacryma. Escob. t. 1. mir. Chr. &c. ut antè.

Neque taceat pupilla oculi mei. Thren. 2. 18. Videte, quòd & pupilla oculi nostri non tacet: sed, quotiescunq; lacrymas proferimus, toties clamamus ad Deum. S. Hieron. in Pf. 76. Non quod pupilla oculi loqui debeat; sed quia ipsa, cum compungitur, ex divina inspiratione, magis, quàm loquentis verba, impetrandi effectum habent. S. Paschasius in Thren. 2.

Oculus meus afflictus est, nec tacuit. Thren. 3. 49. Citius nullus clamor ad Deum ascendere creditur, quàm lacrymarum? quia, et si voces surdæ sunt nonnunquam, coram Deo lacrymæ semper, teste Spiritu S. à maxilla in cælum cum omni clamore cordis ascendere probantur. S. Paschasius hic.

Flevit, & rogavit eum. Osee 12. 4.

Ex Novo, & Patribus.

Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli. Matth. 18. 3. Cur parvulis nos vult similes? ad impetranda omnia per lacrymas, quæ petimus. Si mater minetur, si pater repellat, si nutrix lac neget, si bajula cupitis non annuat; ad lacrymas parvulus recurrit, quibus semper victor evadit. S. Chrysol. f. 128. Infantiam dico, fratres, quæ semper totum obtinet; quæ plus lacrymis, quam virium robore, contendit. Pinna Eth. 241.

Et cepit flere. Marci 14. 72. S. Ambros. f. 46. rectè Petrus fleuit, & tacuit: quia quod fieri solet, non solet excusari. q. d. non erat, cur Petrus aliquid diceret, qui flebat: quia lacrymæ magnam vim in dicendo habent; nec est ulla ratio tam potens animos movere. Ad dicit Ambros. quod defendi non potest, abluui potest. q. d. quædam crimina sunt ita magna, ut nullâ orationis vi extenuari possint; at lacrymæ etiam foedissima scelera eluunt. Subdit Ambros. utiliores preces lacrymarum sunt, quam sermonum: quia sermo in precando forte fallit; lacryma omnino non fallit: sermo enim interdum non totum profert negotium; lacryma semper totum prodit affectum. Pinna Ethol. 242.

Adhuc illò longè agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. Luc. 14. 32. S. Gregor. hom. 37. in Evang. cum adhuc longè est Rex, legationem mittet lacrymarum: vult enim placari precibus, qui scit, quia portari non possit iratus: quòd adhuc moram facit, venire legationem pacis sustinet. Apud Naxeram Jos. 15. §. 31.

Conversus Dominus respexit Petrum. Luc. 22. 61. Cur Petrus ad eum flexis genibus non accedit, petens veniam; sed egressus fleuit amarè. S. Ambros. hic. cur tacuit Petrus? nè tam cita veniæ petitio plus offenderet: ante flendum; & sic precandum. Sylveira in Act. 8. 22.

Et ego flebam multum. Apoc. 5. 4. Quia credit Joannes magna, ac scitu digna, in libro contineri; flet gemens, & suspirans. Magna vult Deus valde postulari. Sylveira hic.

Lacrymæ tacitæ quodammodo preces sunt: veniam non postulant, & merentur; causam non dicunt, & misericordiam consequuntur: nisi quòd utiliores lacrymarum preces sunt, quam sermonum: quia sermo in precando forte fallit; lacryma omnino non fallit. S. Ambros. f. 46. de pœnitentia Petri.

Dulciores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia theatrorum. S. August. in Pf. 127.

Neque enim perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, ut plantam deprecationis fontes lacrymarum irrigantes faciunt in summam altitudinem excurrere. S. Chrysof. hom. de Anna, & educatione Samuelis.

Non ita fontes aquarum hortos reddunt fertiliores, ut orationis plantam lacrymarum

fontes irrigantes ad maximam excrecere faciunt altitudinem. S. Chrysof. hom. 79. ad pop. Antioch.

Non tantum vultus, & sudor, fortium; quantum possunt lacrymæ parvulorum: quia ibi corpora, hic corda, franguntur. S. Chrysol. f. 128.

Lacrymæ tacitæ quodammodo preces sunt; veniam non postulant, & merentur. S. Maximus hom. 3. de Pœnitentia Petri.

Ornamenta petitionis sunt lacrymæ; & nihil tam illam ex arte oratoriam facit. Liniuntur, & delibantur multa intromittenda in aliud; ut facilius penetrent: & lacrymæ delibamenta sunt nostrarum petitionum. Simon. Cas. l. 6. de parab. Salvat.

Num. 4.

Oratio cum mortificatione.

Ignis Ex. 27. quòd thimiam in altari aureo incendebatur in sancto, deferbatur ex altari hoccauli: quia orationis fervor ex carnis, & passionum, jugi mortificatione promanat. Quare qui orationi incumbit, & negligit mortificationem; perinde facit, atque si quis sine igne vellet aromata accendere. Cornelius hic.

Legitur Judic. 7. 19. 20. quòd per tubas sonantes, & per contractas lagenas, hostes fugabantur. In contractione lagenarum mortificatio corporum; in tubis orationis significatur. S. Bonaventura f. 3. D. 2. Quadr.

Geminæ visabantur aræ in Salomonis templo. 1. Paral. 6. 49. una erat incensis, victimarum altera. Præclara orationis, & mortificationis, effigies. Neque enim satis est altare, in quo thura incenduntur; sed & aliud statuentum est, in quo pecudes, & hostia, cadantur. Drexelius Rhet. coel. l. 2. c. 9. §. 3.

In foraminibus petra. Cant. 2. 14. Columba nidificare jubetur à sponso: ut quisque sciat, orationis necharè mortificationis duritie stillaturum. Oliva l. 3. Strom. §. Et erat tribus dieb. Act. 9.

Ad montem myrrha, & ad collem thuris. Cant. 4. 6. Sponsus vadit: quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere; & per mundas, & humiles, orationes suaviter redolere perspiciat. S. Gregor. hic. Quia in hoc Cantico peculiaris fit mentio adventus sponsi in montem myrrha, & in collem thuris; de illis aptè intellige, quod hic ait sponsus, maximè juxta versionem Sept. *ecce iste venit saliens super montes, & transiliens super colles:* quia speciali ratione Christus toto peregrinationis suæ tempore salit in montibus myrrha, id est, acerbissimæ mortificationis, & abnegationis propriæ; & in collibus thuris, id est, sublimis orationis. Ut doceret nos, in hoc duplici monte, & colle, semper nobis esse salendum; si ad verticem sanctitatis aspiramus. de Ponte hic Exh. 4. §. 3. Docet hic Christus, viam ad sanctitatem, esse mortificationem, & orationem; unamque alteri esse jungendam. Cornelius hic. Cur in colle thus, in monte myrrham, ait excrecere? Faci-

Facilius collis, quam mons, conscenditur; imò collis ad montem via est. Sic oratio ad mortificationem semita est: facilius orare, quam sibi imperare. Drexelius Rhet. coel. l. 2. c. 9. §. 3.

Duas alas habeat oratio nostra: contemtum Mundi, & afflictionem carnis. S. Bernardus l. 3. in Epiph. D.

Num. 5.

Oratio cum humilitate.

Ex Veteri, & Novo.

Minor sum cunctis miserationibus tuis erue me de manu fratris mei Esau. Gen. 32. 10. 11. Chald. legit: *minora sunt merita mea omnibus misericordiis, & beneficiis, quae fecisti cum servo tuo.* Cur ita se deprimat? cur non potius commemorat obsequia sua erga Deum? votum, quod ei vovit? lapidem, quem erexit in titulum? oleum effusum? labores perpeffos in domo Laban; sed rocus humilitati intendit? S. Chrysoft. hom. 4. de in comprehensibili Dei natura: modò unum illud persuasum tibi sit, te omnium esse minimum; mirificè tibi animus fidendi, audendique, apud Deum praestabitur. *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis.* Gen. 18. 27. Sylveira in Joan. 16. c. 19. q. 8.

Prostraverunt se super terram. Judith. 7. 4. quod preces commendat humiles. Quid enim est aliud prostratum in terram, quam humiliter orare. S. Laur. Just. l. de humilit. c. 17. nequaquam valet repellere deprecationem, quae est humilitatis sale condita. *Respexit in orationem humilium.* Pl. 101. 18. Velloso in Judith 7. Paran. 10.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus. Pl. 10. 17. Ne dixeris, sponsam celeriter exaudivit Dominus, quoniam sancta, dilecta erat; me peccatorem quomodo eò exaudivit? Nota: David non ait, desiderium sanctorum, aut dilectorum, exaudivit Dominus; sed desiderium pauperum, qui se pauperes esse agnoscunt, nihil se habere boni credunt; & ad Deum tanquam mendici accedunt. de Ponte in Cant. 1. Exh. 2.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me. Pl. 85. 1. Inclinat aurem, si tu non erigis cervicem; humiliato enim appropinquat; ab exaltato longè discedit, nisi quem ipse humiliatum exaltaverit. S. Aug. hic.

Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Eccl. 35. 21. S. Chrysoft. in Pl. 9. orationis vehiculum est humilitas. *Ego veniam, & curabo eum.* Matth. 8. 7. Cur Christus D. mox annuit petitioni Centurionis? cum Chananæa diriuscule respondeat? Matth. 15. 24. Centurio multa humilitatis signa exhibuerat. Luc. 7. 7. *propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te.* At Chananæa, licet fervide oraret, adhuc orationi humilitatis verba non sociaverat: mox ut ad illa descendit, & cani se comparat, non ultra differtur. *Secundo.* S. Polyantib. Sacra, Tom. II.

Basil. Seleuc. or. 19. herus pro famulo rogans exorator fuit; mater pro filia rogans tulit repulsam. Matrem in filiae arumina commoveri, & salutem ejus ambire, res homini ingenta; sed quòd homo officio illustris factum ponat, & pro salute unius pueri aestuat; hoc rarum, & mirum: unde sic attraxit divinam benignitatem, ut illius votis faveret. Sylveira hic. q. 11. Quod assiduo clamore non impetrabat; humili confessione pròmeruit. S. August. lib. de virgin. c. 32.

Ex Patribus, & aliis.

Qui didicerunt à Domino Jesu Christo mitres esse, & humiles corde; plus cogitando, & orando, proficiunt, quam legendo, & audiendo. S. August. ep. 112.

Nequaquam valet repellere deprecationem, quae est humilitatis sale condita. S. Laur. Just. l. de humilit. c. 17.

Ubique orationis vehiculum invenitur humilitas; propè enim est Dominus contritis corde. S. Chrysoft. in Pl. 9.

Quò se anima magis in oratione humiliat, ac desicit; eò ipsa altius à Deo evahitur. Ex vita S. Theres. lum. & dogm. spir.

Num. 6.

Oratio Parvulorum.

Et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini. Judith. 4. 9. *Omnis Judæ stabat coram Domino cum parvulis.* 2. Paral. 20. 13. Lyran: ut magis impetraretur divina clementia. Hòc respectu collectus est ad *Esaiam.* l. 1. c. 10. 1. *cæcus grandes vitorum, mulierum, & puerorum. Vocate cæcum, - congregate parvulos.* Joel. 2. 15. 16. *Et 9. 6. parvulus natus est nobis, & vocabitur nomen ejus, Deus, fortis. Pullis corvorum invocantibus eum.* Pl. 146. 9. Quid non concedat redemptis Parvulis bonus Deus. Bene sit, quòd in publicis Processionibus Parvuli quoque comitentur. Velloso in Judith 4. Paran. 5.

Num. 7.

Oratio reverentialis.

Utrumq; genu in terram fixerat. 3. Reg. 8. 54. Notent huc nobiles delicatuli, & gloriosuli; qui orant unò genu in terra fixò, alterò elevato; quasi pugnaturi cum Deo, nò concedat, quod petunt. Rex regum Salomon orans ecce utrumq; flexit, & utrasque manus in cælum expandit; atque hòc gestu simplex perstitit totò tempore proluxa orationis suæ. Et nos viles homunculi dedignabimur utrumq; genu flectere? Cornelius hic.

Verba mea percipe Domine, - intellige clamorem meum. Pl. 5. 2. Sæpe clamat David; cur non exaudit Deus? adhuc non praestiterat se adoratorem. *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* v. 8, Escob. 1. 5. Proph. Chr. l. 5. sect. 2. obl. 3.

I i 2

Mihi

Mibi curabitur omne genu. Isa. 45. v.

Proclidentes adoraverunt eum. Matth. 2. 11. Maximò reverentiæ signò cadentes adoraverunt; ità quòd non genu flexerunt, sed in faciem ceciderunt. Thomas de Vio Cajet. Card. S. Xisti hïc.

Adorans, & petens. Matth. 20. 20. Ut sint efficaces preces opus adorationis præmittit. S. Chrysoft. petit illa opere reverentiæ exhibitò, ut impetret. Opera enim pia plus, quàm voces, impetrant. Escob. t. 5. Proph. Chr. l. 5. sect. 2. obf. 3.

Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & prope usque ad terram nos humiliter inclinamus: & à Deo remissionem peccatorum, & æternam requiem, inquirentes, nec capita nostra inclinare dignamur. B. Cæsar. Arel. hom. 30.

Romæ in Ecclesia, dum elevaretur Corpus Christi, quidam juvenis noluit flectere genua: cui diabolus visibilibus dedit alapam dicens: ò proditor Christiane! pro quibus tantum fecit Christus. Si fecisset centesimam partem pro nobis eorum, quæ fecit pro vobis; nocte, & die, servissemus ei genibus flexis. Et subito interfecit eum. S. Vincent. Ferr. l. 6. D. 16. post Trinit.

§. XIX.

*Oratio attenda, sine distractionibus.**Ex Veteri.*

Abraham, Abraham. Gen. 22. 11. Abraham Sacrificio suo ita intentus, ac attentus erat, ut bis ab Angelo vocari nomine debuerit, ut audiret. S. Ambros. l. 1. de Abrah. c. 8. nè aut non planè audiret, aut fortuitam esse vocem putaret; repetivit vocem; tanquam veritus, nè præveniretur studiò devotionis, & una vox impetum ferientis revocare non posset. Bæza t. 1. l. 1. c. 7. §. 15.

Moyfes. Ex. 4. 10. ad loquendum cum Deo non dixit se balbum; sed cum homine: quia Deus, præter hominum morem, cor magis, quàm verba attendit. Diez. conc. 3. D. 5. Pasch.

Præcipitur Moyfi Ex. 19. ut solus Deum allocuturus montem ascendat; neque grex, aut quodvis animal &c. insuper nube ipsà obvolvitur. Omnia dicunt attentionem.

Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te. 2. Reg. 7. 27. Inveniant quoque orantes cor suum, ut bene orent. Vagatur cor curis inanibus distractum à Deo; cum orare volumus, veluti perditum inveniamus, reddamusque attentum. Barradius D. 5. Pasch. l. 5. c. 14. in Joan. 16.

Tantumq; labia illius movebantur. 1. Reg. 1. 13. non oculi, non pedes in oratione; sed tantum os. Attende miram attentionem. *Operuit vultum suum pallio.* 3. Reg. 19. 13. Mox ut Elias sensit Dominum, qui secum loquebatur; palliò caput obvolvitur; quasi sensus

omnes colligeret, nè vel minimùm distraheretur. Incert. Author.

Lauda anima mea Dominum. Pl. 145. 2. Dat sibi Propheta salubre consilium, ut anima laudet Dominum, non sonus concrepantium labiorum. Sæpe enim sic meditata proficimus, ut peregrinà cogitatione translati, non nos sentiamus dixisse, quæ loquimur. Ideo animam suam Psalmista hortatur laudare Dominum; ut, explosis cogitationibus supervacuis, in ipso tantum negotio totis viribus occupetur. Cassiodorus hïc.

Nè vagari incipiam post greges &c. Cant. 1. 6. Verè in quo Christus non cubat, vagatur: quia mens, quam ille suavis, & ponderosus Christi spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circumfertur. S. Gregor. hïc.

Ex Novo.

Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum. Matth. 6. 6. Quæ sunt ista cubricula, nisi ipsa corda, quæ in psalmo etiam significantur, cum dicitur: *quæ aiecit in cordibus vestris &c.* S. August. l. 2. c. 6. de serm. D. in monte.

Miserere mei Domine fili David. Matth. 15. 22. S. Chrysoft. hom. in peccatricem, & Pharisæum: Chananæa fortiter clamabat, *miserere mei &c.* at peccatrix hæc clamorem non edebat; sed considerans, quòd ipse omnia, ut Deus, nõsset; silens ore, corde cum cordis inspectore loquebatur: plorans deosculabatur pedes; atque Dominum ad compassionem, indulgentiamque, induxit. Illa ore loquebatur, hæc verò corde: & efficacius ad Deum cordis inspectorem loquitur cor, quàm os. Sylveira in Luc. 7. q. 11.

Ex Patribus, & aliis.

Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare, & incumbere ad preces totò corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & secularis, abscedat; nec quidquam tunc animus, quàm id solum cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem Præfatione præmissa fratrum mentes, dicendo *sursum corda*, parat: ut dum respondet plebs, *habemus ad Dominum*, admoneatur; nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere. S. Cyprianus l. de orat. Dom.

Non puto, quòd ille, qui clausit cælum orationi, clauserit animum à cogitatione: ut facilius sit, cælum obserare, quàm animum. Petrus Dam. f. in vigil. Nativit.

Spineam coronam gestat Dominus; ut omnes in servitutem affereret, quòd in precibus mentem in convulsam possiderent. S. Athanas. de Pafs.

Non levi crimine tenetur astrictus, quisquis cum Deo in oratione loquitur, & subito abstrahitur ab ejus conspectu, quasi ab oculis non videtis, nec audientis. S. August. Manuali c. 29.

Plerumque in oratione genibus fixis corpus pro-

prosternis, collum curvas, confiteris peccatum, Deum adoras. Video corpus, ubi jaceat; quæro ubi volitet animus? Video membra jacentia; videamus, si fiat conscientia: videamus, si fixa est in eum, quem adorat. Modò si mecum loqueris, & subito averteres te ad servum tuum, & dimitteres me; non dico, à quo aliquid petebas, sed cum quo ex æquo loquebaris; non mihi injuriam factam deputarem? Ecce quid facis quotidie Deo. S. Augustin. in Ps. 140.

Quomodo obtinebit quis, ut in oratione cor ejus non vegetetur? Si certus sit, se assistere ante oculos Dei. Si enim quis judicem suum videns, aut principem; & loquens cum eo, non sibi credit licitum esse vagari oculis, & aliorum aspiciere, dum ipsi loquitur: quanto magis qui accedit ad Dominum, nusquam debet movere oculos cordis? sed intentus esse in eum, qui scrutatur renes, & corda. S. Basilii Regula de Instit. Monachi c. 57.

Quantæ temeritatis, imò quantæ insanie est; si fortè dum alloquitur nos Dominus majestatis, nos insensati avertamus aures; & ad, nescio quas, ineptias convertamur. Quanta est hæc injuria, & quam graviter vindicanda? cum vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur creatorem universitatis. S. Bernardus l. de 7. spiribus.

Apud homines cor ex verbis; apud Deum verò verba pensantur ex corde. V. B. in Proverbiis.

Esto totus orationis tempore, velut celestis Angelus. Sic semper orationis horâ esto Deo conjunctus, ut Cherubim, & Seraphim. S. Ephrem de Virginit.

Non fieri potest, ut aliquando loquatur cum Domino, qui etiam silens cum toto Mundo confabulatur. Hildebertus Ep. Turon. ep. 37.

Non spectat ad laudem orationis, quanta sit, sed qualis. S. Nilus de orat. c. 145.

Sit anima perinde ac quæ filios vagantes colligit; & castigans dispersas à peccato cogitationes inducat in domum corporis sui. S. Macarius hom. 31.

Vix reperies, sicut quidam dixit, ut oranti cuiquam non aliquid inane cogitationis incurrat obstaculum; & intentionem, quâ in Deum mens erigitur, declinet, ac frangat. Et ideo certamen magnum, atque saluberrimum est, orationi ceptæ jugiter imminere; & cum adiutorio Dei obistere vivaciter suggestionibus inimici: quatenus fixa semper ad Deum mens stabili intentione contendat; ut meritò possit dicere. 2. Tim. 4. 7. *certamen bouum certavi.* Cassiodorus in Ps. 101.

Melius est semel dicere Pater noster cum intellectu bono, & attentione; quam millesies sinè intellectu, & devotione. S. Edmundus Cantuar. speculo Eccles. c. 17.

Si tuum corpus sit in choro, labia tua in psalterio, & cor tuum in foro miserrime; & divusus es in teipso, nè exaudiaris à Deo. Id. ib.

Vel una oratio Dominicalis, cum sensu, &

attentè recitata plaris valet; quam centum festinanter decuria. S. Fran. Sales. in Philothea p. 2. c. 1.

In oratione conjunguntur duæ manus; quæ significant conjunctionem oris, & cordis. S. Vincent. Ferr. l. 3. D. 1. post oct. E. piph.

Precatio exterior, quæ ore tantum funditur, velut palea est: nam interna oratio, quæ funditur mente, ipsum granum est. Lud. Blof. Instit. Spir. c. 8.

Similitudines.

Luna. Lem: *Unius aspectus.*

Cicada. Lem: *Mihi cithara pectus.* S. Isidorus de summo bono: oratio est cordis, non laborum: neque enim verba attendit Deus, sed cor aspiciit orantis.

§. XX.

Oratio publica multorum.

Ex Veteri.

Pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel. Jos. 7. 6. Deus multorum precibus exoratus mali medelam docuit, & populum in pristinam amicitiam admisit. Naxera hic §. 18. multorum oratio impetrandi jus est.

Omnis Juda stabat coram Domino. 2. Paral. 20. 13. Ecce hic patet antiquitas Litanie, sive orationis publicæ, & communis: quia in publica calamitate publicè omnes cujusvis sexûs, & ætatis, conveniunt, ad opem Dei implorandam. Cornelius hic.

Et clamavit omnis populus. Judith 4. 8. Nota hic usum, modum, & vim publicæ orationis, & poenitentiae, in publica calamitate Christianis imitandum; ut simili modò calamitates suas avertant. Cornelius hic. Item Judith 8. 32. 33.

Vade, & congrega omnes Judeos, & orate pro me. Eith. 4. 16. *Congregate seniores omnes, & clamate ad Dominum.* Joel. 1. 14. *Et sociis suis indicavit negotium.* Dan. 2. 17. An sibi soli Daniel precanti non fudit? Lyran. adjungit sibi socios in orando: quia orationum multorum, & maxime bonorum, est multum exaudibilis. Velloso in Judith 4. 9. Paræn. 5.

Prædicaverunt jejunium. Jon. 3. 5. S. Ephrem in Jon. unusquisque proximum ad preces hortabatur: & effecta est tota civitas velut corpus unum. Unusquisque observabat, nè quis laboretur inter ipsos: nullus ibi precabatur, ut solus redimeretur; verum ut membra singuli pro se mutuo deprecabantur.

Operiantur saccis homines, & jumenta; & clament ad Dominum in fortitudine. Jon. 3. 8. Fortitudo illa in unitis precibus. Unde Deus ipse proclamat. Jon. 4. 11. *ego non parcam Ninive, civitati magna, in qua sunt plures quam centum viginti millia hominum.* Imò quia tot sunt millia iniquorum

hominum, parcete non debetis. Paucos iustos. Gen. 18. 32. requisisti apud Sodomam, ut illis urbibus ignosceres; quomodo tot millibus iniquorum parcis? profecto quia simul orantes in fortitudine clamabant; ut iram Dei vincerent. Efcob. t. 1. Mir. Chr. l. 4. sect. 3.

Alii gregatim de domibus consuebant publicâ supplicatione obsecrantes. 2. Machab. 3. 18.

EX NOVO.

Ego veniam, & curabo eum. Matth. 8. 7. Ad Regulum autem asperè loquitur. Joan. 4. 48. *nisi signa-videritis, non creditis.* Uterque rogat; & Centurio pro seruo, & Regulus pro filio. Sed cum Regulo nemo rogat; pro Centurione plures. Luc. 7. 3. *misit ad eum Seniores, rogans eum.* Velloso in Judith 4. Paran. 10.

Domine, salva nos, perimus. Matth. 8. 25. Nullus pro se solo loquitur, sed pro omnibus: nemo enim dixit, salva me. S. Chrysol. l. 20. *revera fratres, si essemus & humanum corpus; & eos, qui pereunt, nostra viscera esse crederemus; afflictione jejunii, precum gemitu, effusione fletuum, jugiter clamaremus: Domine, salva nos, perimus: & studeremus nobis in nostris fratribus subvenire; nè furente gladio, sanguinis nostri mare videremus in terris; nec tanta corporum, sed animarum jam naufragia, sentiremus.* Sylveira híc.

Et facta est tranquillitas magna Matth. 8. 26. Non id obtinuit Discipulorum fides, quæ modica erat; sed eorum concordia, quæ singuli pro omnibus precabantur, *Domine, salva nos.* Baeza t. 2. l. 11. c. 5. §. 12.

Apprehendens eum de turba seorsum &c. Marci 7. 33. Cur miserum hunc Dominus mox sanat sine alloquio, ut supra cum Chananaea Matth. 15. 24. Et cum duobus cæcis. Matth. 9. 28. R. Chananaea una erat pro filia rogans; hic multi. Oratio multorum efficax. Sylveira híc q. 6.

Par turturum, aut duos pullos columbarum. Luc. 2. 24. Turtur, quæ est solitaria, significat orationum lacrymas: columba vero gregalis significat publicas orationes Ecclesiae. S. Vinc. Ferr. f. de Purif. B. V.

Sine, quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene? Luc. 4. 34. *Et increpavit illum Jesus dicens: obmutesce, & exi ab eo.* Verte modò oculos ad Luc. 8. 27. & Marci 5. 9. daemones hominem inhabitantes sepulchris vel ante mortem condebant. Opem laturus adest Christus; & daemones occurrentes adorant: *quid mihi, & tibi, Fili Dei Altissimi? Interrogat Christus: quòd tibi nomen est? at ille dixit ei? legio mihi nomen est, nam multi sumus.* Marci 5. 9. Addunt: *mitte nos in porcos.* Cur his, non illi, annuit Christus? quia ibi unus; hic multi: *nam multi sumus.* Etiam daemones multi impetrant, Naxera in Jos. 7. §. 18.

Petite, & dabitur vobis. Luc. 11. 9. Non dixit, pete, quare; ut communitatis commendet orationem. Efcobar t. 3. Coll. Chr. l. 12. sect. obf. 4.

Levaverunt vocem suam dicentes: Jesu Præceptor misere nostri. Luc. 17. 13. Non clamant singulariter unusquisque, misere mei; sed *misere nostri.* Dominus autem eos ad Sacerdotes mittens mox sanavit in via: ut innuat gratiam, & efficacem orationem; quæ à pluribus simul fit. Efcobar t. 1. Mir. Chr. l. 4. sect. 3.

Herodes occidit Jacobum fratrem Joannis gladio. Act. 12. 2. Petrum verò non occidit. Cur non Jacobus, sed Petrus, evasit? nisi quia non pro Jacobo, sed pro Petro, tota Ecclesia deprecata est. Act. 12. 5. Mendoza in 1. Reg. 7. Publicæ orationes in publicis necessitatibus.

§. XXI.

In oratione quid petendum?

Num. 1.

Non vilia, non temporalia.

Dabis seruo tuo cor docile. 3. Reg. 3. 5. 9. Rupertus l. 4. de Visi. verbi Dei c. 24. cum Dominus dixisset Salomoni: *postula, quod vis, ut dem tibi;* & tantà sibi oblata gratiâ, posset æternitatem gloriae coelestis unâ petitione adipisci, quæ summa beatitudo est: ille, temporali gloria delectatus, & apud homines volens gloriosus haberi; leve, seu mediocre, bonum petiit: *dabis &c.* Sed cur non dixit, sicut pater ejus David Ps. 26. 4. *unam petij, hanc requiram* videlicet quia cor ejus non erat perfectum cum Domino Deo suo. Baeza t. 2. l. 9. c. 5.

Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis. II. 1. 15. Tamne inexorabilis Deus? qui invitat. Matth. 7. 7. *petite, & dabitur vobis.* S. Basilus: observa, híc non esse dictum, cum *levaveritis* manus, sed cum *extenderitis.* Manus extendere, idem ac terrena expetere: deberent primum manus elevare ad bona spiritualia, tum extendere ad temporalia. Efcobar t. 3. Coll. Chr. l. 6. sect. 2. obf. 4.

Quemadmodum ad Imperatorem nemo pro veste discissa, nec pro decem obolis ereptis, audeat accedere; ita etiam tu: atque adeò longè amplius cave; nè ad Deum accedas pro rebus vilibus, contemptis, & nihili: ut v. g. Si quis in pecunia tibi fecerit injuriam; aut si quis affecerit te contumelia: sed in iis, in quibus te diabolus injuriâ afficit; cum supernò maxime auxilio opus est. S. Chrysost. in Ps. 142.

Stultissimum fuerit; si quis accedens ad Deum, à sempiterno temporalia roget, à coelesti terrena, ab Altissimo humilia, atque abjecta: ab eo, qui regnum caelorum largitur, hanc terrenam, ac humilem, felicitatem: hoc enim Gentiles facient, qui nullam sibi futuri sæculi spem pro-

ponunt; non iudicii metum, non gehennæ minas. S. Gregor. Nyss. de oratione. or. 1.

Est Rex noster maximè studiosus dignitatis: & indignatur, si quis eum rem petat exiguam; si quis ab eo postulet, quæ non sunt nobis consentanea. Isid. Clarius l. 1. or. 18.

Num. 2.

Petenda utilia, bona.

Dic mihi, quò appellaris nomine? Gen. 32. 29. Non obtinuit; quia inutilis erat petitio: sed cum petit benedictionem, obtinuit, quia utilem. Stella in Luc. 2. 26.

De Lacedæmonis scribit Plato, solere eos orantes petere pulchra, & bona, sibi dari; nec plura illos precari quinquam audivisse. Isid. Clarius l. 1. or. 18.

Num. 3.

Petenda spiritualia, virtutes.

Petite, & dabitur vobis. Luc. 11. 9. Cùm dictum est, *petite*, intellige Spiritum S. & *dabitur vobis*: & similiter *querite* Spiritum S. & *invenietis* illum: & demum *pulsate* ad ostium Spiritus S. & *aperietur vobis* regnum cælorum. Spiritus autem Sanctus, propriè loquendo, non est hic nomen tertie Personæ Trinitatis; sed participationis illius participationis divinæ spiritualitatis, ac sanctitatis: ut non sit Spiritus noster ad carnalia, & mundana, promptus, aut affectus; sed ad spiritualia bona. Cajetanus hic.

Si quid petieritis. Joan. 16. 23. id est, si aliquid, ut explicant Beda, Haymon, Bonaventura, Hugo; quod sit verum, ac solidum; ac proinde conducens ad æternam vitam: nam temporalia tanquam nihil sunt. S. August. tr. 102. hoc, quod ait, *si quid*, non quodlibet intelligit, sed aliquid, quod non in beatæ vitæ comparatione, sit nihil. - in isto enim bono petendo perseverantes sanctos suos nequaquam misericordia divina defraudabit: quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla res est; sed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. Sylveira hic.

Talis est Deus noster, cùm nos viderit non affixos rebus secularibus, & caducis; tunc ea nobis largitur. Cùm nos viderit spiritualia præponentes; tunc & carnalia donat: antè autem nequaquam; nè quando avellamur à spiritualibus. S. Chrysost. hom. 20. in ep. ad Hebr. c. 10.

Non fieri potest, non potest, inquam, fieri, ut, qui postulant à Deo pudicitiam, justitiam, mansuetudinem, ac benignitatem; non assequantur id, quod petunt. Id. de orando Deum l. 1.

In oratione levamus dexteram pro bonis spiritualibus, sinistram pro temporalibus. S. Vincent. Ferr. s. fer. 6. post Oculi.

Num. 4.

Petenda remissio peccatorum.

Et Peccavi-Dominus quoque transulit peccatum tuum. 2. Reg. 12. 13.

Eritq; antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam. Il. 65.

24.

Citò proferte stolam primam. Luc. 15. 22.

Num. 5.

Petendum regnum Dei, æterna &c.

Dabit tibi petitiones cordis tui. Ps. 36. 4. Petitio, quam ratio format, dicitur petitio cordis; quæ non sensibilia, & transitoria, sed expediencia ad salutem, & æterna, quærit invenire. Sim. Cals. l. 6. c. 1.

Querite primum regnum Dei. Matth. 6. 33. Cùm Deus in oratione non queritur, citius in oratione animus lassatur: quia cùm illa quisque postulat, quæ fortasse juxta occultum iudicium Deus tribuere recusat; ipse quoque venit in fastidium, qui non vult dare, quod amatur. Sed se magis Dominus, quàm ea, quæ condidit, vult amari; æterna potius, quàm terrena, postulari. S. Gregor. Mor. l. 15. c. 27.

Remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. 2. Sed cur petenti sanctatem peccata dimittit? Hieron., Euthym., Theophylactus: voluit Dominus morbi originem indicare; & prius, quàm morbum ipsum, tollere. Maldonatus ait: eâ ratione Christum docere voluisse; quid primò locò paralyticus petere debuisset. Escob. t. 1. mir. Chr. l. 4. sect. 4. hic.

Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit. Pater gratias ago tibi. Joan. 11. 41. Unde & nos oculos cordis ad terram non deprimamus, sed elevemus in cælum; si quod oramus, volumus impetrare. Innocentius III. Papa de Sacro Alt. myll. l. 4. c. 5.

Quodcumq; petieritis Patrem in nomine meo. Joan. 14. 13. In hoc nomine non petit ille, qui contra Dei dispositionem, & contra suam, vel aliorum, salutem, petit (est enim salutis nomen) imò verò, qui aliter petit; contra hoc nomen petere, non dubium est. Euseb. Emis. D. 4. adv. fer. 4.

Petite, - ut gaudium vestrum sit plenum. Joan. 16. 24. Illud gaudium plenum est, quod perfectum & integrum est; quod nunquam finitur, & æternum est. Id. D. 5. Pasch. In quo autem gaudium plenum esse poterit? nisi ut veniamus, & appareamus ante faciem Dei. Itaque cùm dicit: *petite &c.* illa tantummodò petenda esse innuit, quæ proficiant ad visionem Dei; in quo solo plenitudo gaudii est. S. Rupertus l. 12. in c. 16. Joan. S. August. *petite gaudium cæleste, quod verè plenum est, & perfectum, cui nihil deest.*

Num.

Num. 6.

Petendum quod vult Deus.

In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me. Pf. 101. 3. Cito obtinentur, quæ bono desiderio postulantur: nec differuntur preces, quæ hoc petunt, quod vult ille, qui petitur. S. Prosper Aq. hic.

Si quid petieris Patrem in nomine meo. Joan. 16. 23. Petere in nomine Christi, est petere ea, quæ Christus à nobis cupit, & dare nobis vult: scilicet quæ ad salutem animæ spectant. Hæc oratio est efficax illa nonnullorum: Domine, da mihi hoc, quod Christus Dominus in me desiderat, quod ipse mihi dari cupit; pro quo ipse moriens in cruce oravit. Cornelius hic.

Narrat Alphonsus Salmeron tom. 10. tr. 11. fuisse hominem, qui orationis locò totum ordine alphabetum recitavit, cum hac clausula: Domine, junge tu literas; & quod tibi magis placet, mihi quæ expedit, largire.

Num. 7.

Pete ipsum Deum.

Domine non confundar, quoniam invocavi te. Pf. 30. 18. Invocas Deum, quando in te vocas Deum: hoc est enim illum invocare, illum in te vocare quodammodo, eum in domum cordis tui invitare. S. August. hic.

Exquisivi Dominum, & exaudivit me. Pf. 33. 5. Non dixit, inquisivi aurum à Domino, & exaudivit me; inquisivi à Domino hoc, aut illud, & exaudivit me. Aliud est, aliquidinquirere à Domino; aliud est, ipsum Dominum inquirere. S. Aug. hic.

Deum non invocaverunt. Pf. 52. 6. Qui invocat Deum, ut dives fiat, Deum non invocat: hoc enim invocat, quòd ad se vult venire. Quid enim est invocare, nisi vocare in se? Nam cum dicitur, Deus da mihi divitias, non vis, ut Deus ipse ad te veniat; sed vis, ut divitiæ veniant ad te: quod vis, ut ad te veniat, hoc invocas. Si autem Deum invocares, ipse ad te veniret, ipse esset divitiarum: nunc autem vis habere arcam plenam, & inanam conscientiam. Id. hic.

Non est, qui clamet in eis ad me. Of. 7. 7. Quidnam est, clamare ad Dominum, nisi desiderare Dominum? Caterum si quis orationem multiplicet, quantumvis clamando, & lacrymando; non habens intentionem in hoc, ut ipsum mereatur habere Deum, sed ut aliud quid obtineat terrenum, sive transitorium; non veraciter potest dici clamare ad Dominum. S. Rupertus lib. 3. hic.

Erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6. 12. Oratio nostra sit in omnibus Dei, ut ab ipso gratiam orandi accipientes oremus ipsum, ex ipso, in ipso, & propter ipsum. Sim. Cas. l. 4. c. 7.

Omnes, quando oramus, mendici Dei sumus; ante januam magni Patris familias stamus; imò & posternimur, supplices ingemiscimus,

aliquid volentes accipere: & ipsum aliquid ipse Deus est. S. August. l. 15. de V. D.

Si tibi Imperator diceret: pete, quod vis; quos tribunatus, comitatusve, ructares? quanta tibi proponeres, & accipienda, & aliis largienda? Deo tibi dicente: pete, quod vis; quid petiturus es? Excute mentem tuam, exerce avaritiam tuam; protende, quantum potes, & dilata cupiditatem tuam. Pete, quod vis; tamen nihil invenies melius, quàm ipsum, qui fecit omnia. Ipsum pete, qui fecit; & in illo, & ab illo, habebis omnia, quæ fecit. Et nihil magis vult dare, quàm se. Si alia petieris, injuriam facies illi, & damnum tibi; præponendo illi, quod fecit; cum velit seipsum tibi dare, qui fecit. Id. conc. 1. de prima parte Pf. 34.

Quomodo invocabo Deum meum, Deum, & Dominum meum? quoniam utique in me ipsum eum vocabo, cum invocabo eum. Et quis locus est in me, quò veniat in me Deus meus! quò Deus veniat in me; Deus, qui fecit cælum, & terram. Id. Confess. l. 1. c. 2.

§. XXII.

Ad Orationem perfectam requisita.

Num. 1.

Præparatio.

Præparationem cordis eorum audivit auris tua. Pf. 10. 17. Citharista præparat citharam suam; & moderatur eam prius, quàm citharizet coram magno Domino. de Rampeglogis Oratio.

Dimitte nobis debita nostra. Matth. 6. 12. Qui ad benefactorem accedit, benefactor esto: qui ad bonum, bonus; qui ad justum, justus; patiens item, ac lenis; qui ad lenem, ac patientem, accessurus sit: ad humanum humanus. Ita sibi aditum, atque fiduciam, orationis conficiat. Ut enim fieri non potest, ut malo bonus concilietur; ita sævitia accedentis, seipsum ab Humanitate Dei sejungit. S. Greg. Nys. or. 5. de or. Dom.

Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus debemus præparare. Joan. Cas. Coll. 9. quæ est in prima Abb. Isaac de orat. c. 3.

Num. 2.

Oratio quas virtutes requirat.

Ne irascamini in via. Gen. 45. 24. Nos scilicet monuit, ne in via orationis constituti, ad Patrem cum ira accedamus. Tertullianus l. de orat.

Summus Sacerdos. Ex. 28. 33. 35. cum in Sanctuarium ad orandum, & offerendum thymiama, ingrederetur; vestitus erat hyacinthina togâ: à cujus simbria pendebant multa quasi mala Punica, ex pulchris coloribus contexta, mixtis aureis tintinabulis, quæ in ipso ingressu sonitum ederent. Quò significatur, munus dignè orandi, & se præsentandi in con-

conspicui Altissimi; non in solo sonitu precum consistere, ut efficaces sint; sed etiam in consortio malorum Punicorum; quæ insigniores charitatis erga Deum, & proximos, actus referebant. de Ponte in Cant. 4. l. 7. Exh. 28.

Delectare in Domino, & ipse dabit tibi petitiones cordis tui. Pf. 36. 4. Delectari oportet omnem hominem petentem aliquid in eo, à quo petit: aliàs is, à quo petitur denegaret; si aversum petentem ab amore suo conspiceret. Omnis namque delectatio in amore fundatur; & ab ipso, velut à propria radice, procedit: etenim absque amore delectatio nulla perficitur, prohibita, vel concessa; utilis, vel nociva; humana, sive divina; temporanea, vel aeterna. Sim. Casl. l. 6. c. 1.

Non sine mysterio prius dicitur: *ostende mihi faciem tuam.* Cant. 2. 14. deinde verò: *sonet vox tua in auribus meis:* nam, cum aliquem alloqui volumus, prius versus eum faciem vertimus. Sic ante orationem cura, quam conversam habebas sive ad terrena, seu negotia secularia, sive ad teipsum, propriaque commoda; ab his avertas, ea contemnens; ut summâ attentione Deo assistas. de Ponte hic Exh. 28. §. 1.

Tu autem, cum oraveris, intrâ in cubiculum tuum. Matth. 6. 6. S. August. in Pf. 35. cubile nostrum, cor nostrum; ibi tumultum patimur malæ conscientiæ; & ibi requiescimus, quando bona conscientia est. Ibi est cubile, ubi nos D. N. J. C. jubet orare. Tentator non cessat pullare, ut irrumpat; si clausum invenerit, transit. Quid est autem claudere ostium? hoc ostium tanquam duas habet valvas, cupiditatis, & timoris. Aut cupis aliquid terrenum; & hæc intrat: aut times aliquid terrenum; & hæc intrat. Timoris ergo, & cupiditatis, januam claude, contra diabolium; aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? cupiendo regnum celorum, timendo ignem gehennarum. apud Drexelium Rhet. cœl. l. 1. c. 3.

Misericordiam volo, & non sacrificium. Matth. 9. 13. Interiora Deo placent præ exterioribus. Princeps Synagoga Matth. 9. 18. quàm officiosus accessit ad Christum, filia mea modo defuncta est. Mulier autem hæmorrhœissa dicebat intrâ se; si tetigero tantum simbriam ejus. v. 21. salva ero. Tangit, & mox sanatur. Tam potens est cordialis affectus. Sedulius l. 1. Paschali c. 11. ô quàm rebus arduis impetrandis plus est confidere, quàm rogare. Quippe venit ex corde fiducia, præces ex lingua: preces sapius sinè corde funduntur; fiducia sinè corde non nascitur. Mulier Chananæa Matth. 15. 22. clamavit post Dominum: *miserere mei Domine fili David:* & tamen semel, ac iterum, repulsam patitur. Consultior Magdalena in domo Simonis Luc. 7. 38. ore tacet, sed rigat lacrymis; corde loquitur, & mox accipit remissionem peccatorum. S. Chrysol. hom. in peccatricem, & Pharisaum: Chananæa fortiter clamavit, *miserere mei fili David!* at peccatrix hæc non clamorem edebat; sed considerans, quòd ipse omnia, ut Deus nosset, silens ore, corde cum cordis inspectore loquebatur; & plorans deosculabatur pedes; atque Dominum ad sui compassionem, indulgentiamque, induxit. Unus cordialis affectus potentior est ad movendum Deum præ externis sacrificiis: & ideo misericordia plus placet, quia plus de corde habet; imò quia ejus sedes in corde sita est. Unde Daniel. 3. 38. in fornace Azarias sic orat: *non est in tempore hoc princeps neque holocaustum - ut possimus invenire misericordiam tuam; sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. - Et nunc sequimur te in toto corde.* Nota: quid locò Sacrificiorum offerat; animum contritum, sequelam ex corde. Bæza t. 2. l. 7. c. 4. §. 17.

Et assumptò Petro, & duobus filiis Zebædei &c. Matth. 26. 37. Cum orat, Petrum, & Jacobum, & Joannem adhibere socios debet; id est: integram fidem, spem constantem, & ardentem charitatem. B. Isaias Abb. or. 13.

Petitis, & non accipitis. &c. Jacobi 4. 3. Male petere, est, si non petis, quòd debes; nec eâ intentione, quâ debes; nec tempore, quòd debes; nec perseveranter, ut debes. S. Bonavent. f. 2. de adv.

Si vis tenere, quòd non habes, dimitte, quòd habes; ut amor Christi sit in corde tuo. Ecce petis à Deo, & dicis: Domine, da mihi. Quid tibi dabit, qui aliunde manus tuas videt occupatas? Ecce Dominus vult dare, quæ sua sunt; & non habet, ubi ponat. Vide ergo; dimitte, quòd tenes; & accipis, quòd petis. Dimitte temporalia, & caduca; & accipies æternam, & perpetuam vitam: dimitte terrena, & accipis cœlestia. S. Aug. f. 233. de temp.

Omnes sancti in tribulationibus constituti prius justitiam ejus laudaverunt, & sic beneficia petiverunt. Laudaverunt primò flagellantem, & sic senserunt cibantem. Id. in Pf. 144.

Loquere cum Deo sicut filius cum patre suo, S. Ilaç l. 1. de contemptu Mundi c. 8.

Num. 3.

Oratio sit continua.

Sinè intermissione orate. 1. Thels. 5. 17. Theophylactus: iter monstrat, quò fiat, ut semper gaudeamus; orationem nimirum, quæ non cesset; atque gratiarum actionem: qui enim assuevit cum Deo versari, eique gratias agere in omnibus rebus, tanquam utiliter contingentibus; planum est, quòd perpetuum gaudium sit habiturus. Cornelius hic.

Quòd si in Scripturis sanctis sol verus, & dies verus, & Christus; hora nulla à Christianis excipitur, quò minus frequenter, ac semper, Deus debent adorari. S. Cyprian. l. de orat. Dom.

Egredientes de hospicio armet oratio; regredientibus de platea oratio occurrat antè,

K k

quàm

Polyantha Sacra, Tom. II,

quàm sessio; nec prius corpusculum requiescat, quàm anima pascatur. S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium.

Qui amat Deum, semper cum hoc, tanquam cum Patre, consuetudinem, & sermonem habet. S. Nilus de orat. c. 51. Si Deo semper placita gerimus, semper oramus. Eucherius l. 6.

Sive in Ecclesia fueris, sive domi tuae, sive in agro: si oves pascas, & si aedificia construas, & si in symposio verferis; ab oratione cave desistas. Et quodcumque poteris, genua flecte: quando non poteris, mente Deum invoca, & vespere, & mane, & meridie. S. Ephrem de orat.

Omne, quod agis, oratione obfignato; id verò maxime, de quo mentem vides dubitantem. S. Nilus cap. paræn.

Quicumque orandi donò præditi sunt, ingenti privilegio sunt donati: similes enim ijs sunt, quos reges ita familiares habent; ut eorum ingressus nunquam prohibeatur. Isid. Clarius l. 1. or. 18.

Num. 4.

Oratio sit constans.

Et ecce vir lucubatur cum eo usq; mane. Gen. 32. 24. Lucrare cum Angelo; nè succumbas: quia regnum cælorum vim patitur. In multis tentat te Dominus, declinat sapius, avertit faciem; sed non in ira: probationis istud est, non reprobationis. Suffluit te dilectum; sustine, viriliter age. S. Bernardus f. in Nat. B. V.

Josue scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini usq; ad vespeream, tam ipse, quàm omnes senes Israel. Jos. 7. 6. Abul. q. 15. ante vespeream non jussit, quòd surgerent: ut prius ibi abundanter orarent. Naxera in Jos. 7. §. 17. Multorum oratio aliquando repulsam tulit; perseverantia nunquam optatis fraudatur.

Elias, ut notat Abul. septem vicibus oravit ut impetraret pluviam: quia volebat eum Deus diutius in oratione perseverare 3. Reg. 18. 42. 43. de Ponte in Cant. 2. Exh. 5. §. 3.

Miserere nostri fili David. Matth. 9. 27. Cum venisset ad domum &c. v. 28. Cur Christus non in via, sed in domo, cæcos sanavit? Albertus M. ut ostenderet, perseverantiam in oratione ad impetrandum maxime necessariam esse. Sylveira luc c. 30. q. 2.

Miserere mei Domine fili David! filia mea male à demonio vexatur. Matth. 15. 22. Quid ad hæc ei Christus? non respondit ei verbum. Interim Discipuli Christi mulieris fiunt oratores: dimitte eam, quia clamat post nos. v. 23. Apostoli omnes repulsam ferunt: non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel. v. 24. Tam magnum quid est perseverantia orationis; ut uni

alienigenæq; mulieri, fuerit concessum, quod rogatoribus pluribus, hisque Apostolis, denegatum. Naxera in Jos. 7. §. 17.

Quòd sæpe rogans non impetraveris, tua est causa. Aut enim non ad salutem facientia rogasti: aut, si salutaria, non attentè; aut, si attentè, minime perseverasti. S. Basilii f. quomodo Deus orandus.

Pertinax oratio pertingit ad finem. Et si tibi in initijs sicca, & velut saxea videatur; oleum tamen gratiarum elicies de hoc saxo durissimo; tantum si perseveres. Gilbertus f. 6. in Cant. 2.

Num. 5.

Oratio sit fervens.

Ad me clamat ex Seir &c. II. 21. II. Non dicit, orat; non dicit, supplicat; sed clamat. Quæ est ista exclamatio? nisi intenta oratio, nisi devotionis magnitudo. Si cum multo desiderio oras; clamas. Quanto ferventius oras, tanto vehementius in Dei auribus clamas. Et quò vehementius desiderium excrescit; eò excellentius clamor supplicationis ascendit. Richardus à S. Victore l. de verbo Incarnato ad D. Bernardum c. 1.

Ipse verò multò magis clamabat. Luc. 18. 39. Quomodo, quamvis multi increparent eum, non tacebat, sed amplius clamat. Fervor quidam intrinsecus instimulabat eum, idcirco Jesus jussit illum adduci ad se. quòd profectò dignus esset, qui appropinquaret ei. Theophylactus hic.

Quàm multi sonant voce; at corde muti sunt: & quàm multi tacent labijs, & clamant affectu: quia ad cor hominis aures Dei. Sicut aures corporales ad os hominis; sic cor hominis ad aures Dei. Multi clausò ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus. S. August. in Ps. 119.

Si vis vocem habere in orationibus efficacem, satage semper, ut te divinus fervor accendat; nè vocem tuam torpor frigoris intercipiat: frigida nempe mentis oratio non admititur; & tanquam vox rauca, non auditur. S. Petrus Dami. ep. 17.

Num. 6.

Oratio sit solitaria.

Leva oculos tuos, & vide. Gen. 13. 14. dixit Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Loth. Cur Deus Abraham alloquiò suo dignatus non fuit, dum cum Loth erat, viro alioquin probò? Abulensis: id factum, Deum in oratione nos admodum soli-

litarios velle. Did Nis. D. 2. Quadrag. §. 5.

Apud me oratio. Pf. 41. 9. in secreto, in abscondito: quia per eam, non hominibus, sed soli Deo, placere concupisco. Hugo à S. Victore hic.

Ingrederi in petram, & abscondere in fessa humo. Il. 2. 10. Absconditur in petra, qui ingreditur cubiculum suum, & clauso ostiò orat Patrem; ut, in terreno corpore constitutus, transeuntis Mundi non sentiat tempestatem. S. Hieron. hic.

Ducit illos in montem excelsum seorsum. Matth. 17. 1. Hanc autem vocem *seorsum* idcirco adjungit Evangelista: ut ostendat, orationis causã in semotum locum secedendum esse: mater enim orationis est solitudo, oratio autem divinã gloriã demonstratio. S. Joan. Damasc. or. de transfig. Dom.

Non ergo de labijs tantummodo tua procedat oratio: animo totus intende; intrã recessum pectoris tui totus ingredere. S. Ambros. l. 6. c. 3. de Sacramentis.

Num. 7.

Orantis afflictio, patientia.

Exaudivit eam. Gen. 30. 22. Non meminit Scriptura, voce Rachelem usam; & tamen dicit, exaudivit eam. Si non loquitur, quomodo exaudivit? afflictio cordis silentium Deo exaudiebat. S. Cyprianus: Deus non vocis, sed cordis auditor est. Alvarez hic Illustr. 4. Rhetorica optima cordis, & lacrymarum.

Quid clamas ad me? Ex. 14. 15. Nec verbum protulit Moyses; quomodo ergo clamat? Dolebat suorum ruinam, si exercitus accederet: afflictum cor divinis oculis ficit, licet lingua taceat, corde clamat. S. Ambros. clamabat Moyses affectu piò, & sensu profundò; & personabat in cœlo. Id. ib.

Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine. Pf. 118. 145. Et quando clamasti, regũ discretissime? dixerat afflictus v. 143. *tribulatio, & angustia, invenerunt me.* Cor contribulatum pro afflictio rege Rhetoris munus egit. Id. ib.

Bethania. Joan. 11. 1. Primò Hebr. idem est, quod *domus afflictionis.* Secundò Pagninus: domus responsonis, vel exauditionis Domini. Sylveira in Matth. 20. c. 35. q. 1.

§. XXIII.

Orationi omnis locus aptus.

Precurrrens ascendit in arborem. Luc. 19. 4. *hodie in domo tua &c.* Tantane epularum in Christo aviditas, aut in fceneratorem charitas? Nimirum Jesum ex arbore vir rapax contemplantur. Novitate est captus scenã Dominus: ut unde captari ad illecebram umbra consueverat, lux inde vitæ hauriretur. Eã felici importunitate itã delinitus est Dominus; ut par pari reculerit: quia cum

ille delicias arboris, in aram templi convertisset, vertit quoque mox ipse rapacitatis flabulum in promptuarium largitatis. Itã fragrat oratio, si locò non suò emittatur. Exauditus est latro, quòd in patibulo supplicarit: Placuit Magdalena, quòd in epulo fleverit. Oliva l. 6. Strom. §. Luc. 10. Non est tibi cura.

Licet ad Ecclesiam currere non sit commodum, potes in foro, curiãque vestibulo hærens, nihilominus precari. Suspice cœlum, dic mente: miserere mei Deus! & absolvisi precationem. Nec talis apud nos est divinus cultus, qualis quondam apud Hebræos erat; multum habens sensibilibus ceremoniarum. Licet etiam mulieri colum tenenti, aut telam textenti, suspicere in cœlum; ac ardenti pectore Deum invocare: licet etiam viro in foro versanti, aut iter facienti, attentè precari: alteri itẽ in officina sedenti, ac coria confluenti, animam ad Deum erigere: licet servo vel in culina, si non vacet adire Ecclesiam, precationem intentam ciere. Non pudet loci Deum: unum postulat; mentem ferventem, animamque modestam. S. Chrysostom. 6. hom. de Anna.

Inducit deinde orantes Paulum in carcere, Ezechiam in lecto, latronem in cruce, Jonam in ceto.

Devotus quisque vix opportunitate fr audatur: Deum enim, quem ex animo quærit, ubique invocans invenit. Ignavus autem, & tepidus, nec in ipso valet oratorio orandi affectum invenire. Plorat in convivio Magdalena; nec præsentia illam impedit convivarum: in ipso autem templo desipit Phariseus. S. Bonaventura in spec. discipl. ad Novit. p. 1.

Cetus Propheta oratorium fuit, naufrago portus, inter undas domus, felix in desperatione subsidium, Cassiodorus in Pf. 129.

§. XXIV.

Orationibus alienis cooperare vitã tuã.

Ex Veteri.

Exaudivit autem Deus vocem pueri. Gen. 21. 17. Oleaster: flevit mater; & Dominus non vocem matris, sed pueri vocem, audisse dicitur. Ut discamus, quid valeant innocentium voces. Ubi nota: quòd plus nobis valeant ad misericordiam fletus nostri, quam amicorum, & aliorum pro nobis. Alvarez. in Gen. 37. Illustr. 71.

Recordatus Dominus Rachaelis, exaudivit eam. Gen. 30. 22. Honcala: nec dubium, quin Jacob, cum esset vir bonus, Dominum quoque pro dilectissimã uxoris fecunditate summis votis sit precatus. Non sine causã Jacob precatio tacetur, Rachelis autem aperte insinuat: ut vel hinc constet, quantum oratio propria præstet alienã: nam quamvis precibus adjuvemur alienis; nisi nostris conspiremus; valde rarò expetita

K k 2

con-

consequemur. Apud Did. Nifs. Pol. cael. p. 2.
l. 3. c. 4.

Quid clamas ad me? Ex. 14. 15. Moy-
sis preces audire renuit, quic preces populi
admixtas non cernebat. S. Ambros. in Pl.
101. hoc est: cur solus ad me clamas? quid
à me speras? Alvarez in Gen. 37. Illustr.
71.

Regnante Ezechiâ liberavit Deus Jerusa-
lem de manu Sennacherib propter Davidis
sanctitatem. 4. Reg. 19. 34. At regnante Se-
decia, nec quidem ob sanctitatem David, li-
beravit de manu Nabuchodonosor. 4. Reg.
25. 1. Davidis auctoritatem apud Deum
unius regis penitentia promovebat; alterius
malitia debilitabat. Mendoza in 1. Reg. 7. 9.

*Usquequo tu luges Saul? cum ego proje-
cerim eum.* 1. Reg. 16. 1. Et cur non ex-
auditus? S. Chrysost. hom. 5. de penit. non
enim cum iusti interventu regis penitentia
stetit. Did. Nifs D. 5. Pent. 5. 2.

Job servus meus orabit pro vobis. Job.
42. 8. *faciem ejus suscipiam.* &c. Profuit
quidem Jobi oratio amicis suis; eadem tamen
oratio Judæis minimè profutura dicitur Ezech.
14. 14. *si fuerint tres viri isti in medio ejus,
Noe, Daniel, & Job &c.* ratio: quia illi de
suo peccato doluerant; hi verò in suo perseve-
rabant. Mendoza in 1. Reg. 7. 9.

*Unus edificans, & unus destruens, quid
prodest illis, nisi labor?* Eccl. 34. 28. Quod
ipse, ut pius, per se, vel per pauperes, & Reli-
giosos, quorum preces per elemosynas depol-
cit, orat, & obsecrat, ut fiat; hoc ipse, ut impius
maledicit, & re ipsa orat, ut non fiat; dum Deum
suis sceleribus iritat, & ad vindictam provocat.
Cornelius hic.

Si steterit Moyses, & Samuel. Jer. 15. 2.
Disce: ut alicui preces sanctorum profint, de-
bere eum simul cum ijs conniti, & collabora-
re: si enim in malitia persistat; parum, vel
nihil proderunt. Cornelius hic.

*Hæc ergone disperdes omnes reliquias
Israel?* Ezech. 9. 8. mox Deus respondit:
*iniquitas domus Israel, & Juda, magna
est nimis valde.*

Et pervenit verbum ad regem Ninive.
Joan. 3. 6. Non legitur, à Jona petijse preces
pro se, aut civitate: sciebat enim rex, steri-
lem esse orationem sine lacrymis, & pen-
nitentiâ. Sylveira in Act. 8. 22.

*Dignus fratribus tuis effectus particeps
suscipe mortem, ut in illa miseratione cum
fratribus tuis te recipiam.* 2. Machab. 7.
29. S. Cyprianus de exhort. ad Mon. c. 11.
magna laus matris in exhortatione virtutis;
sed major in Dei timore, & in fidei veritate:
quòd nihil sibi, aut filie, de sex Martyrum
honore promisit; nec fratrum precem pro-
futuram credidit ad negantis salutem. Per-
suasit potius participem passionis fieri, ut in
die judicii cum fratribus possit inveniri. Huc
respiciant delicati peccatores; qui sanctorum
patrociniò, & piorum hominum, si-
ve laboribus, sive precibus, sic suam
salutem committunt, ut nihil sibi pœnale su-
mendum putent. Bæzat. 3. 1. 14. c. 11. §. 1.

Ex Novo.

Accessit ad eum. Matth. 8. 5. Spes no-
stra salutis in nostra potius locanda est dili-
gentia, quàm in sollicitudine aliena. Com-
munis opinio apud Maldonatum, quòd Cen-
turio primùm patronos submiserit; tum ipse
Christum pro servo supplex adjit. Parum
valet patrociniò alienum, cui non acce-
dit industria propria. S. Chrysost. hom.
79. ad pop: bonum est, sanctorum oratione
frui; sed cum & nos sumus cooperatores.
Quod si non affuerit, nil aliorum prodest
auxilium; verùm & cum illo perimus. Mag-
na est vis precum, quas sancti pro nobis fun-
dunt: si tamen tales sumus, quales nos cu-
piunt: si Deum, quod illorum primùm pro
nobis est votum, diligimus. Did. Nifs. f. in
die Cin. §. 5.

Rogabant eum Domine, dimitte eam.
Matth. 15. 23. Magna fiducia animum pa-
rat intercessio electorum. Euge, qui pro-
meruit intercessores habere Apostolos. Sed
non omnis, qui interpellat, habet; nisi qui
in virtutibus ipsorum factus est amicus, &
unius Domini adorat vestigia. Etenim jam
illa meruerat Apostolos habere intercessores:
quia de simbus impiorum egressa pro miseri-
cordia venerat ad Jesum. Sim. Cals. l. 5. c.
24.

Domine, adjuva me. Matth. 15. 25.
ajebat Chananæa. S. Chrysost. tu verò dili-
genter considera, cum nihil ab Apostolis in
re mulieris factum fuerit, totum ab ipsa fuisse
perfectum: mavult enim nostram Deus,
qui rei sumus; quàm aliorum pro nobis, ora-
tionem. Id. ib.

O mulier, magna est fides tua. Matth.
15. 28. Cur Christus non annuit petitioni
pro muliere? sed solum ejus precibus? Euthy-
mius: considera, quomodo, cum Apo-
stoli pro illa deprecati fuissent, nihil effe-
runt. v. 23. ipsa potius perfecit. Hinc do-
cemur, quòd Deus mavult nos pro
nobis ipsis obsecrare. Sylveira hic q.
15.

Mendicare erubesco. Luc. 16. 3. id est,
alios ad intercedendum pro me verecundor,
nisi & ego ipse aliquid boni agam. Dion.
Carth. hic.

Pater Abraham miserere mei. Luc. 16.
24. Nemitem magis moribus suis contrarium,
poterat invenire: ipse crudelis misericordem
invocat in patrociniò. S. Leo f. 5. in Epiph.
Patriarchis, Prophetis, Martyribusque socia-
mini: unde & illi gaudent, inde gaudere. Ho-
rum divitias concupiscite; & per bonam æmu-
lationem ipsorum ambite suffragia: cum qui-
bus enim vobis fuerit consortium devotionis;
erit & communio dignitatis. Bæza t. 2. l. 6.
c. 7.

Vinum non habent. Joan. 2. 3. Quodnam efficacius potuit intercedere patrocinium? certe in terris nullum: & tamen adjungit sanctissima Mater ad ministras: *quodcumque dixerit vobis facite.* v. 5. Etiam V. Mariâ intercedente necessaria est indigentium diligentia. Alvarez in Gen. 37. Illustr. 71.

Positis autem genibus clamavit voce magnâ dicens: Domine &c. Act. 7. 59. Cur Stephanus pro se orans stat, pro inimicis genua flectit? S. August. f. 1. de S. Steph. Quare pro te stans orâsti? & pro inimicis genua flexisti? Pro me stans oravi: quia pro me, qui rectè Deo servivi, orando, & impetando, non laboravi: quia qui pro justo orat, non laborat; ideo pro se stans oravit. Ventum est, ut oraret pro Judæis; & attendens tam multam esse iniquitatem ipsorum, quæ difficilè donari posset; genua flexit, & ait: *ne statuas illis hoc peccatum.*

Pœnitentiam age ab hac nequitia tua. Act. 8. 22. Cui Magus: *precaminus vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.* Oraveruntne Apostoli pro eo? Abulens. q. 5. in c. 5. Reg. subintelligendum, quòd, cum Apostoli essent viri misericordes, oraverunt pro eo. Sed si oraverunt, cur non exoraverunt? dixerat Petrus: *pœnitentiam age;* & ille: *precaminus vos pro me.* Did. Nils. f. in die Cin. §. 5. oportebat illum totò corde pœnitentiam agere, oportebat orare: ille autem obiter hoc faciebat. S. Chrysol. hom. 18. in acta.

Necessitatibus sanctorum communicantes. Rom. 12. 13. Manifestum est, quia qui preces suas exaudiri vult, æmulus debet esse vitæ Sanctorum: cum imitatur enim, communicat; ut hoc sit memorem esse, & communicatorem, imitari actus illorum. S. Ambros. hic.

Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justis assidua. Jacobi 5. 16. Videtur significare; posse nos seculos vivere, dum nos modò justorum precibus commiserimus. Respondet S. Anastasius Sinaita de Synaxi: junge clamorem tuum, cum sacerdote pro te deprecante: da teipsum pro tua salute. Multum valet deprecatio justis, assidua & efficax; sed efficax erit, si & tu cum sacerdote partes tuas copules, fructusque pœnitentiæ demonstras. Did. Nils. D. 5. Pasch. §. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Volare facit orationem bona vita, & dat alas precibus spirituales, quibus Sanctorum ad Deum evehatur oratio. S. Ambros. Octon. 22. in Pl. 118. 169.

Si nos in virtutis studio seduli fuerimus, efficaces erunt & preces aliorum pro nobis: si verò desides fuerimus, nemo nos juvare poterit. S. Chrysol. hom. 1. in ep. 1. Theis.

Audi, quid dicat Propheta: si steterit Noe, & Job &c. Quantum luxit Samuel, & Saule non eripuit, quantum precatus est Je-

remias; & Judæos nihil, juvit. Quid ergo? sùntne supervacaneæ Sanctorum preces? nequaquam: sed magnas vires habent, quando tu quoque eis auxilium tuleris: ita etiam Petrus suscitavit Tabitham, non solum oratione, sed etiam illius elemosynâ. §. Chrysol. in Pl. 48.

Confugiamus ad Sanctorum preces, & oremus; ut pro nobis intercedant: sed non illorum precibus tantum confidamus; sed & ipsi nostra, ut oportet, dispensemus rectè, & ad meliora semper convertamur; ut locum demus orationi, quæ pro nobis funditur. Hoc & ad Prophetam dicit Dominus Jer. 7. 17. non vides, quid isti faciunt? incendunt adipem &c. quasi dicens ad eum: pro illis me rogas, qui a peccato non desistunt, qui carent sensu infirmitatis suæ, quæ laborant. Nè igitur, ó Propheta, mihi offeras orationem: sed hoc tuò studio facias; ut illorum morbus vincatur, & ad sanitatem reducantur. Id. in Gen. hom. 44.

§. XXV.

Oratio Dominica.

Sic ergo vos orabitur: Pater noster &c. Matth. 6. 9. S. Cyprianus lib. de orat. vocat hanc orationem, Evangelii breviarium, Officium Ecclesiasticum, cum sit compendium totius Scripturæ. Sic & hæc oratio, cum sit compendium Evangelii, illius breviarium dicitur. In hoc, ut post Augustinum l. 2. de V. D. notant omnes Commentatores, tres primæ petitiones ad honorem Dei pertinent; reliquæ ad nostram utilitatem. Sylveira hic c. 15.

Pater noster. S. Cyprianus, Chrysol. & Rupertus, accipiunt primam SSS. Trinitatis Personam. Melius alii totam accipiunt Trinitatem: quia omnes tres Personæ ad extrâ omnia operantur; ideoque æquè omnes sunt invocandæ. Cornelius hic.

Non dicimus Pater meus, nec panem meum, da mihi hodie &c. publica est nobis, & communis, oratio. Et quando oramus, non pro uno, sed pro toto populo, oramus; quia totus populus unum sumus. S. Cyprianus l. de or. Dom.

De quotidianis, levibusque peccatis, sinè quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio. Fidelium satisfaciit. Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana, peccata. S. August. Enchyrid. c. 70.

Oratio hæc comparatur flumini; in quo Agnus possit ambulare, & elephas natare. Hoc est, talis est, ut quilibet eam simplex discere, & intelligere, valeat; & cujusque sapientis ingenium supereminet. S. Honorius S. in Nat. D.

Oratio Dominica est cunctarum exemplar orationum: ut quidquid à Patre nostro Deo petere volumus, hic probemus; utrum Deo placitum, vel ad salutem nostram sit idoneum, quod postulamus. Nam si ab istarum quilibet petitionum petentis intentio discordat,

nequaquam in nomine Salvatoris postulat. Rupertus in Matth. l. 5. in fine.

De hujus orationis expositione, laude, & efficaciam, tanta jam à sanctis Doctoribus dicta sunt; ut penè tædio sit ea perlegere. Veruntamen nec digna, nec sufficientia dicta sunt, nec usquam dicuntur. Tanta namque est hujus gloriose orationis profunditas in sensu, fecunditas in mysterijs, efficacia in effectu, artificialitas in processu, seu ordine; ut nemo capere valeat, vel eloqui. Dionys. Carthus. in Matth. 6.

Sanctificetur &c. Petitio, sanctificatio; donum sapientia; virtus pax; beatitudo filia-tio Dei; & vitium, contra quod, luxuria. q. d. da nobis spiritum sapientia, id est, jucunditatem internam; ut gustemus, quam suavis sis; & hoc generet in nobis pacem; & hoc contra luxuriam. *Adveniat regnum tuum.* Petitio adventus regni; donum, intellectus; virtus, munditia cordis; beatitudo visio Dei; & vitium, contra quod, gula. *Fiat voluntas tua.* Donum consilium; virtus misericordia; beatitudo misericordia consecutio; vitium, contra quod, avaritia. q. d. da nobis spiritum consilij; ut faciamus voluntatem tuam, maximè misericordiam, quæ perimit avaritiam, quatenus misericordiam consequamur. *Panem nostrum &c.* Donum fortitudo; virtus esuries justitia; beatitudo saturitas; vitium contra quod, acedia. q. d. da nobis spiritum fortitudinis, qui multiplici pane roborat animam, ne deficiamus in presenti, esuriendo justitiam; per quam expellentes acediam, plenà justitià saturabimur in futuro. *Dimitte nobis &c.* q. d. da nobis donum scientia, & virtutem luctus; quò tam nostra, quam aliena, peccata cogitemus, & desleamus; & ita consolationem habeamus contra invidiam. *Et ne nos inducas &c.* q. d. da nobis spiritum pietatis, & mansuetudinem spiritus; ut per spiritum pietatis vincamus tentationem; & per mansuetudinem iram; ut ita beati possideamus terram viventium. *Sed libera nos &c.* q. d. da nobis spiritum timoris; ut per illum vincamus mala; & per virtutem paupertatis spiritus bona adipiscamur: ut, exclusis vitijs, & contemptis terrenis, habeamus æterna. S. Bonaventura in Matth. 6.

§. XXVI.

Oratio Matutina, & vespertina.

Obtulerunt - holocaustum Domino mane, & vespere. 1. Esdræ 3. 3. Manè, & vespere, holocaustum offerimus per matutinam, & vespertinam, orationem. V. Beda l. 1. in Esdræ c. 3.

Quis sensum hominis gerens non erubescat sine psalmorum celebritate diem claudere; cum etiam minutissimæ aves solenni devotione & dulci carmine, ortus dierum, ac noctium, prosequantur. S. Ambros. hexam. l. 5. c. 7.

§. XXVII.

Oratio Matutina.

Prævenere oculi mei ad te diluculo. Pl. 118. 148. Cassianus dicit, matutinæ solennitatis officium novò adhuc tempore institutum primitus in Bethlehem monasterio, ubi D. N. J. Christus pro redemptione humanæ salutis ex Virgine nasci dignatus est: sicque ex illo per universum Mundum ejusdem celebrationis invaluit consuetudo. Diluculo oratur, ut Resurrectio Christi celebretur. S. Isidorus l. 1. c. 23. de Matutinis.

Cum sit hora diei tertia. Act. 2. 15. Spiritus S. venit horà tertià: quia in illa hora homines frequenter sunt jejuni, & sensus puriores; aptiores ad cognoscenda, contemplanda, ac recipienda dona Dei. Sylveira hic q. 17.

Cum surgis, manus, & faciem lavas; animam autem immundissimam negligis. Nescis, quòd sicut corpus aquà, ita oratione mundatur anima? S. Chrysol. in Pl. 5.

Tempore primitivæ Ecclesiæ ter surgebatur ad divinum officium: circa primum somnum. 2. circa mediam noctem; 3. paulò ante diem: nunc citius surgunt pueri, quam ministri Ecclesiæ; & prius cantant psaltes, quam Sacerdotes. Joannes Belehthus ration. div. offic.

Unio in concha. Lem: *A rore colorem.* Picinelli.

§. XXVIII.

Oratio nocturna.

Nocte vastata est Ar Moab. II. 15. 1. Nox habet quietem contemplationis; in qua 1. est ferventis amoris desiderium. *In lectulo meo per noctes quasiivi, quem diligit anima mea.* Cant. 3. 1. 2. debita confessionis sacrificium. Pl. 118. 62. *medià nocte surgebam ad confitendum tibi.* 3. divinæ consolationis silentium. Sap. 18. 14. *cum quietum silentium contineret omnia.* S. Thom. Aqu. hic.

Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum medià nocte &c. Luc. 11. 5. Cur ponitur petens medià nocte, & non potius alià horà? S. Chrysol. f. 39. Ita satis hora est efficax impetrandi Sylveira in Act. 16. q. 10.

Media nocte Paulus, & Silas, orantes. Act. 16. 25. Nocturna oratio eorum tam Deo grata fuit; ut non solum eorum, sed aliorum quoque vincula fuerint soluta. Id. ib.

Si studentes doctrinis secularibus per parum somno indulgent; quantò magis, qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somnò corporis impediri, nisi quantum natura satis est. S. Ambros. in Pl. 118. f. 7. Et ne totam noctem sopori existimes deputandam: tunc magis tibi orandus est Dominus. Tunc præsidia postulanda, culpa cavenda, quando videtur habere secretum. Tunc maximè, quando tenebræ in circuitu meo, & parietes me operiunt, considerandum: quia Dominus omnia in-tuetur abscondita. Id. ib.

Cur

Cur fers graviter tempus, quod tibi in requiem concessum est? non accepisset servus à Domino requiem, nisi tenebrae essent inductae in hanc praescriptam necessitatem. Quomodo autem in die saepe laborantes noctu requiescimus: & qui hesternò die fuit in laboribus, manè sit robustior, propter noctis quietem. Quid autem est ad sapientiam nocte commodius? in hac enim per saepe de Deo cogitamus in hac lectioni, & contemplationi, divinarum Scripturarum vacamus. Quando autem magis in psalmodiam, & orationem, mens nostra componitur? nunquid noctu: & peccata nostra per saepe noctu in memoriam revocamus. S. Cyrill. Jerof. Catech. 9.

Nocturna lacrymae quòvis rore magis contra concupiscentias, & ardores omnes, demittuntur. S. Chrysof. hom. 26. in Act. Vide hic plura de nocturna oratione.

Si es devotior, imitare lusciniam: cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenam decurrit. S. Maximus hom. 2. de non timendis host. carnalib.

§. XXIX.

Orationes jaculatoriae frequentes.

Orationes jaculatoriae meræ margaritae sunt. S. Vinc. Ferr. f. de Fidelib. def.

Exercitium, quod aspirationibus, brevibusque prececionibus, constat, efficaciam admodum est, ad vitia extirpanda, charitatemque promovendam. Blofius parad. an. c. 22.

§. XXX.

*Ritus orandi.
Cur ad orientem?*

Cur ad orientem versi orant Christiani? quoniam nostrorum honorabilissima quaeque ad Dei honorem seponimus, & est, hominum opinione solis ortus honorabilior, quam aliae partes Mundi: propterea tempore precum spectamus omnes ad orientem. S. Justinus M. lib. quæst. Christianar. ad Gentiles q. 118.

Ex traditione Apostolica orandum est ad orientem. 1. quia ex Ps. 131. 7. adorandum est, *ubi steterunt pedes Domini*; qui Zach. 14. 4. in monte Olivarum in Oriente stare dicuntur. 2. quia Deus est lux vera. 3. ut respiciamus paradisum. 4. ad differentiam Judaeorum, qui ad Occidentem orabant; ut ex situ templi Salomonici colligit Anastas. Nicens q. 18. 5. Tertull. contra Valent. c. 3. quia in aurora venit ad Apostolos Deus in Pentecoste. 6. S. August. l. 2. serm. D. c. 9. quia mo-

nemur convertere animum ad naturam praestantiorum, id est, Deum. Gavantus p. 2. tit. 5.

Invenio in Sacra Scriptura octo modos orandi, primus est, elevando oculos ex confidentia; secundus, deprimendo caput ad terram, ex verecundia; tertio, extendendo manus in altum ex indigentia; quartus, decussando ulnas ex conscientia; quintus, tundendo pectus ex conscientia; sextus, inclinando corpus ex devotione; septimus, flectendo genua ex subiectione; octavus prosternendo se totum ex defectione. S. Vincent. Ferr. l. 5. D. 16. Trinit.

Quae causa ritus in oratione levandi manus? 1. quia hic habitus supplicis, petentis, & sperantis auxilium ex alio: sicut submergenti manus extendunt tanquam auxilium petentes. 2. dat Clemens Alex. l. 7. Strom. quod elevatio manuum significet, & excitet mentis elevationem in Deum. 3. dat Tertull. Apol. 30. quod extensione manuum nos Deo offeramus, & quasi in manus ejus dedamus. 4. hoc ritu vehementiam affectus designamus, quasi vim Deo inferre; atque, praemagna fiducia, manu, quod petimus, prehendere velimus. 5. Dat S. Cyprianus de exhort. MM. c. 8. Theodoretus q. 34. in Ex. ut scilicet hoc gestu protestemur merita Christi crucifixi; eaque Patri, quasi efficacissimam ad impetrandum medium, offeramus. Cornelius in 1. Timoth. 2. 8.

Miscellanea.

Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Matth. 26. 30. Audiant omnes, qui quasi porci, cum jam comederint, eversa mensam, calcibus mensam, temulenti confurgunt; cum agere gratias debeant, & in hymnum à mensa devenire. S. Chrysof. hom. 83. hic.

Scit Dominus, quid velimus; sed vult nos orare vocaliter pro excitanda devotione: quia quod facit flatus carboni, hoc facit pronuntiatio devotioni. Innocentius III. P. de sacro alt. myst. l. 5. c. 17.

Hic versiculus, *Deus in adiutorium meum intende, &c.* omnibus infestatione demonis laborantibus inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus. Hunc versiculum meditantibus tibi somnus obrepit, donec incessabilis ejus exercitatione formatus, etiam per soporem eum decantare consuescas. Hic tibi expergefactive primus occurrat; is, te evigilante, cogitationes anticipet univernas. Joan. Cas. Coll. 10. quae est secunda Abb. Isaac.

TITULUS X. ORATIO MENTALIS.

§. I.

Figura, Symbola.

Ex Veteri.

Formatis igitur Dominus Deus cunctis animantibus terrae, adduxit ea ad Adam &c. Gen. 2. 19. Statuens Deus coram eo tot genera creaturarum, potentiae suae infinitae contemplandae ei praebuit materiam. Et sequitur: *immisit Dominus Deus soporem in Adam*: quem soporem Sept. dicunt quandam *extasim* fuisse. Et credo, extasim illam causatam fuisse ex Bonitatis, ac Majestatis, Dei infinitae consideratione; quam ostendit in formatione tam diversarum creaturarum. Quod si illa creaturarum diversitas sufficiens fuit, extasim in Adam efficere; multo profecto sunt mirabiliora opera redemptionis nostrae, & efficaciora ad causandam extasim in nobis; si cum cordis puritate, profundae: ac assiduae ejus contemplationi incumbere; ob cujus defectum nec diligimus, nec admiramur, tam stupenda opera, quae pro nobis fecit Deus. Diez conc. 2. in Com. Virg.

Sume tibi aromata - aequalis ponderis; cumq; in tenuissimum pulverem contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij. Ex. 30. 34. Aromata sunt opera, quae divinus Redemptor noster pro nobis operatus est; lacrymae, suspiria, sanguis, charitas ardentissima &c. Et sicut aromata, nisi conterantur, & in ignem mittantur, nullum ex se odorem emittunt: sic, nisi reparationis nostrae mysteria ruminentur; parum ex ijs fructus, & consolationis, elicitur. Id. conc. 1. D. 2. Epiph.

Duplex genus orationis significant duo altaria in templo: alterum vocabatur holocaustorum, quod in atrio situm erat sub dio; alterum thymiamatis, quod interiori partem templi occupabat. Ex. 35. 15. 16. Prius significat orationem vocalem, alterum mentalem; quae ad sancta sanctorum propius accedit, & Deo proximos reddit. Pinna in Eccl. Eth. 170.

Ite, & considerate terram, urbemq; Jericho. Jos. 2. 1. Nec verbum aliud legitur addidisse: cum tamen Duces tot alia, eaque munificentissima, mittendis exploratoribus soleant ingenere: quia agit de exploranda anima. Richardus à S. Vict. apud Godefr. considerate terram, quam Deus fecit; urbem, quam humana conditio instituit. Discutite bonum, quod Deus creavit ad bonum nostrum; & malum, quod homo invenit ad malum suum. Si naturae bonum cognoscimus; scimus quid excolere, quid nutrire, quid multiplicare, debeamus.

Si malum morum nostrorum perspicimus, quos hostes cavere, quos adversarios impugnare, quales interficere inimicos oporteat, non dubitamus. Ramirez in ep. 4. 21.

Gaudentq; vehementer, cum invenerint sepulchrum. Job. 3. 22. Sicut sepulchrum locus est, in quo absconditur corpus; ita divina contemplatio quoddam sepulchrum est mentis, quod absconditur anima. Quasi enim adhuc huic Mundo vivimus, cum mente in ea foris vagamur: sed mortui in sepulchro abscondimur, cum mortificati exterius in secreto internae contemplationis clamur. S. Gregor. Mor. 1. 5. c. 4.

Accedet homo ad cor altum. Pl. 63. 8. Illos significat, qui res divinas pia intentione perquirunt: cor enim altum tunc est, quando caelestia cogitat, & terrena devirat. Cassiodorus hic.

Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Pl. 67. 28. De eo autem praedixit Jacob pater ejus. Gen. 49. 27. *Benjamin lupus rapax &c.* Intellectus contemplativus prius inquirat veritatem, & pascitur illa; postea vero dividit illam, & impartitur voluntati. de Ponte in Cant. 1. Exh. 9. §. 3.

Tu, & arca sanctificationis tuae. Pl. 131. 8. Rich. à S. Vict. l. 1. de arca myst. c. 1. ait per arcam sanctificationis recte intelligi gratiam contemplationis.

Osculetur me. Cant. 1. 1. Insinuat scientiam Dei affectiva: nam Canticum ad scientiam spiritus elevat, quae cognitionem, & amorem Dei, comprehendit. S. Ambros. l. de Isaac, & an. c. 2. osculetur nos Deus, quando cor nostrum spiritu divinae cognitionis illuminat, id est: quando infundit supernaturale lumen, quod divina mysteria penetrat, veritates fidei percipit, & affectum simul amoris. de Ponte hic Exh. 2.

Meliora sunt ubera tua vino. ib. Quotiescunque ad legendas, vel meditandas, divinas Scripturas accesseris, cogitare debes, ad ubera Dei te accedere; ut ex illis fugas lac sapientiae, devotionis, & amoris. Sed oppones: Paulus dicit, lac esse parvulorum nutrimentum 1. Cor. 3. 1. Hebr. 5. 12. Quorsum ergo sponsa jam matura ubera laudat? R. agnoscit parvitatem suam, & infantiam. *Sicut modò geniti &c.* 1. Petri 2. 2. Id. hic Eph. 7. §. 2.

Introduxit me rex in cellaria sua. Cant. 1. 3. Sept. versio apud plures Patres valde recepta: *introduxit me Rex in cubiculum suum.* Id. hic Exh. 8. Cellaria haec sunt loca quaedam abdita quietis, & reflectionis; ut animosiores reddantur ad iterum perniciosius currendum: & representant recondita fidei nostrae mysteria; vel ea, in quibus haec mysteria continentur; sive sint Scripturae, sive creaturae, in qui-

Cur fers graviter tempus, quod tibi in requiem concessum est? non accepisset servus à Domino requiem, nisi tenebrae essent inductae in hanc praescriptam necessitatem. Quomodo autem in die saepe laborantes noctu requiescimus: & qui hesternò die fuit in laboribus, manè sit robustior, propter noctis quietem. Quid autem est ad sapientiam nocte commodius? in hac enim per saepe de Deo cogitamus in hac lectioni, & contemplationi, divinarum Scripturarum vacamus. Quando autem magis in psalmodiam, & orationem, mens nostra componitur? nunquid noctu: & peccata nostra per saepe noctu in memoriam revocamus, S. Cyrill. Jerof. Catech. 9.

Nocturna lacrymae quòvis rore magis contra concupiscentias, & ardores omnes, demittuntur. S. Chrysof. hom. 26. in Act. Vide hic plura de nocturna oratione.

Si es devotior, imitare lusciniam: cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenam decurrit. S. Maximus hom. 2. de non timendis host. carnalib.

§. XXIX.

Orationes jaculatoriae frequentes.

Orationes jaculatoriae meræ margaritae sunt. S. Vinc. Ferr. f. de Fidelib. def.

Exercitium, quod aspirationibus, brevibusque precationibus, constat, efficacis admodum est, ad vitia extirpanda, charitatemque promovendam. Blofius parad. an. c. 22.

§. XXX.

*Ritus orandi.
Cur ad orientem?*

Cur ad orientem versi orant Christiani? quoniam nostrorum honorabilissima quaeque ad Dei honorem seponimus, & est, hominum opinione solis ortus honorabilior, quam aliarum partes Mundi: propterea tempore precum spectamus omnes ad orientem. S. Justinus M. lib. quæst. Christianar. ad Gentiles q. 118.

Ex traditione Apostolica orandum est ad orientem. 1. quia ex Ps. 131. 7. adorandum est, *ubi steterunt pedes Domini*; qui Zach. 14. 4. in monte Olivarum in Oriente stare dicuntur. 2. quia Deus est lux vera. 3. ut respiciamus paradisum. 4. ad differentiam Judaeorum, qui ad Occidentem orabant; ut ex situ templi Salomonici colligit Anastas. Nicensis q. 18. 5. Tertull. contra Valent. c. 3. quia in aurora venit ad Apostolos Deus in Pentecoste. 6. S. August. l. 2. serm. D. c. 9. quia mo-

nemur convertere animum ad naturam praestantiorum, id est, Deum. Gavantus p. 2. tit. 5.

Invenio in Sacra Scriptura octo modos orandi, primus est, elevando oculos ex confidentia; secundus, deprimitendo caput ad terram, ex verecundia; tertio, extendendo manus in altum ex indigentia; quartus, decussando ulnas ex conscientia; quintus, tundendo pectus ex conscientia; sextus, inclinando corpus ex devotione; septimus, flectendo genua ex subiectione; octavus prosternendo se totum ex defectione. S. Vincent. Ferr. l. 5. D. 16. Trinit.

Quae causa ritus in oratione levandi manus? 1. quia hic habitus supplicis, petentis, & sperantis auxilium ex alio: sicut submergenti manus extendunt tanquam auxilium petentes. 2. dat Clemens Alex. l. 7. Strom. quod elevatio manuum significet, & excitet mentis elevationem in Deum. 3. dat Tertull. Apol. 30. quod extensione manuum nos Deo offeramus, & quasi in manus ejus dedamus. 4. hoc ritu vehementiam affectus designamus, quasi vim Deo inferre; atque, praemagna fiducia, manu, quod petimus, prehendere velimus. 5. Dat S. Cyprianus de exhort. MM. c. 8. Theodoretus q. 34. in Ex. ut scilicet hoc gestu protestemur merita Christi crucifixi; eaque Patri, quasi efficacissimam ad impetrandum medium, offeramus. Cornelius in 1. Timoth. 2. 8.

Miscellanea.

Et hymno dicto exierunt in montem Olivetum. Matth. 26. 30. Audiant omnes, qui quasi porci, cum jam comederint, eversa mensam, calcibus mensam, temulenti confurgunt; cum agere gratias debeant, & in hymnum à mensa devenire. S. Chrysof. hom. 83. hic.

Scit Dominus, quid velimus; sed vult nos orare vocaliter pro excitanda devotione: quia quod facit flatus carboni, hoc facit pronuntiatio devotioni. Innocentius III. P. de sacro alt. myst. l. 5. c. 17.

Hic versiculus, *Deus in adiutorium meum intende, &c.* omnibus infestatione demonis laborantibus inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus. Hunc versiculum meditantibus tibi somnus obrepit, donec incessabilis ejus exercitatione formatus, etiam per soporem eum decantare consuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrit; is, te evigilante, cogitationes anticipet univasas. Joan. Cas. Coll. 10. quae est secunda Abb. Isaac.